EDITIONES CRITICÆ
SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
PUBLICI IURIS FACTÆ.

LYGDAMI CARMINA.

ACCEDIT PANEGYRICUS IN MESSALLAM.

BUDAPESTINI.
TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ.
MCMVI.

LYGDAMI CARMINA.

ACCEDIT PANEGYRICUS IN MESSALLAM.

Tibullus

EDIDIT, ADNOTATIONIBUS EXEGETICIS ET CRITICIS

INSTRUXIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

BUDAPESTINI.

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ.

MCMVI.

PRÆFATIO

Anno præterito edidi librum,* ubi novo commentario exegetico instruxi elegias, quæ in sylloge Tibulli nomine insignita iure tribuuntur poetæ præstantissimo (i. e. ll. I. et II., l. IV. 2—6. et 13—14.), adiecique Sulpiciæ elegidia (l. IV. 7—12.), sine quibus Tibulli carmina de amore Sulpiciæ et Cerinthi scripta (l. IV. 2—6.) non possunt recte intellegi. Nunc autem, ut in præfatione editionis illius promisimus, Lygdami elegias (l. III.) una cum panegyrico Messallæ (l. IV. 1.) peculiari tractamus libello.

In elegiis Lygdami interpretandis id mihi maxime fuit propositum, ut in commentario, quid poeta magistris suis, præcipue Tibullo et Propertio, deinde Catullo, Vergilio et Horatio deberet, accuratissime exponerem necessitudinemque, quæ inter eum et Ovidium intercedit, diligentius, quam huc usque factum est, definirem. In adnotationibus, opinor, satis luculenter demonstravi Ovidium fuisse imita-

* *Albii Tibulli carmina.* Accedunt Sulpiciæ elegidia. Edidit, adnotatonibus exegeticis et criticis instruxit *Geyza Némethy.* Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, 1905.

torem et in omnibus fere libris eius apparere Lygdami vestigia.

Panegyricum Propertio vindicavi in commentatione mea *De auctore Panegyrici in Messallam* scripta, quæ in ephemeride Societatis Philologorum Budapestinensis (*Egyetemes Philologiai Közlöny,* an. 1906. p. 6. sqq.) nuper publici iuris facta est. Eandem nunc præmisi adnotationibus ad Panegyricum pertinentibus, ut meam de hac quæstione sententiam virorum doctorum iudicio subicerem.

Appendicis loco adieci libello indices verborum, in quibus conficiendis usus sum auxilio indicis Tibulliani, quo Eduardus Hiller editionem suam (Lipsiæ, Tauchnitz, 1885.) instruxit.

Dabam Budapestini mense Martio a. MCMVI.

Geyza Némethy
Academiæ Litterarum Hungaricæ sodalis.

LYGDAMI ELEGIÆ.

ACCEDIT PANEGYRICUS IN MESSALLAM.

LYGDAMI ELEGIÆ.

I.

Martis Romani festæ venere kalendæ:
  Exoriens nostris hic fuit annus avis;
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
  Perque vias urbis munera perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
  Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen. —
«Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ:
  Gaudeat, ut digna est, versibus illa tuis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
  Pumex cui canas tondeat ante comas
Summaque prætexat tenuis fastigia charta,
  Indicet ut nomen littera rubra tuum,
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
  Sic etenim comptum mittere oportet opus.» —
Per vos, auctores huius mihi carminis, oro
  Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum cultumque illi donate libellum,
  Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
  An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam larga donate salute
  Atque hæc submisso dicite verba sono:

«Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit et accipias munera parva rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniunx sive futura soror:
Sed potius coniunx: huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.»

II.

Qui primus caram iuveni carumque puellæ
Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro
Ingenio: frangit fortia corda dolor:
Nec mihi vera loquí pudor est vitæque fateri
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos
Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore:
Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes animamque precatæ
Perfusæquæ pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant,
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post hæc carbaseis umorem tollere velis
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc, quas mittit dives Panchaia merces

Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera causam
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
«Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neæræ,
Coniugis ereptæ, causa perire fuit».

III.

Quid prodest cælum votis implesse, Neæra,
Blandaque cum multa tura dedisse prece,
Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri
Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ
Inque tuo caderet nostra senecta sinu,
Tum cum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethæa cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare sive tuis, sive Caryste tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos
Auratæque trabes marmoreumque solum?
Quidve in Erythræo legitur quæ litore concha
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat,
Et quæ præterea populus miratur? In illis
Invidia est: falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque levantur:
Nam fortuna sua tempore lege regit.

Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neæra:
  At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quæ te poterit mihi reddere, lucem!
  O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quæcumque voventur,
  Audiat aversa non meus aure deus,
Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis
  Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
  Securo cara coniuge posse frui.
Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis,
  Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum tristesque sorores,
  Stamina quæ ducunt quæque futura neunt,
Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
  Ditis in ignava luridus Orcus aqua.

IV.

Di meliora ferant, nec sint mihi somnia vera,
  Quæ tulit hesterna pessima nocte quies.
Ite procul, vani, falsumque avertite visum:
  Desinite in nobis quærere velle fidem.
Divi vera monent, venturæ nuntia sortis
  Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
  Et pavidas mentes falsa timere iubent.
Et natum in curas hominum genus omina noctis
  Farre pio placant et saliente sale!
Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri,
  Mendaci somno credere sive solent,
Efficiat vanos noctis Lucina timores

Et frustra immeritum pertimuisse velit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto
Nec læsit magnos impia lingua deos.
Iam Nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum cæruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat menti deus utilis ægræ:
Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summa Phœbus prospexit ab Oeta,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum
Aetas, heroum nec tulit ulla domus.
Intonsi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Syiio myrrhea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus,
Ut iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas,
Et cum contexunt amarantis alba puellæ
Lilia et autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis inludere palla:
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgens testudine et auro
Pendebat læva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit:
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc dulci tristia verba modo:
«Salve, cura deum: casto nam rite poetæ
Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent:
Sed proles Semeles Bacchus doctæque sorores

Dicere non norunt, quid ferat hora sequens:
At mihi fatorum leges ævique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates,
Quodque deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro,
Pro qua sollicitas cælestia numina votis,
Quæ tibi securos non sinit ire dies
Et, cum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
Alterius mavult esse puella viri,
Diversasque tuis agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
A crudele genus nec fidum femina nomen!
A pereat, didicit fallere si qua virum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis:
Tu modo cum multa bracchia tende fide.
Sævus Amor docuit validos temptare labores,
Sævus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse iuvencas
Non est in vanum fabula ficta iocum:
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora
Nec similes chordis reddere voce sonos,
Sed perlucenti cantum meditabar avena
Ille ego Latonæ filius atque Iovis.
Nescis quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas
Immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas:
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,

Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse:
Felix hoc alium desine velle virum.»
Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
A ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim votis contraria vota
Nec tantum crimen pectore inesse tuo:
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti
Nec flammam volvens ore Chimæra fero
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam sæva leæna tulit,
Barbara nec Scythiæ tellus horrendave Syrtis,
Sed culta et duris non habitanda domus
Et longe ante alias omnes mitissima mater
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc deus in melius crudelia somnia vertat
Et iubeat tepidos irrita ferre notos.

V.

Vos tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,
Unda sub æstivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
Immerito iuveni parce nocere, dea.
Non ego temptavi nulli temeranda virorum
Audax laudandæ sacra docere deæ,
Nec mea mortiferis infecit pocula sucis
Dextera nec cuiquam trita venena dedit,

Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
  Nec cor sollicitant facta nefanda meum,
Nec nos insanæ meditantes iurgia mentis
  Impia in adversos solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos,
  Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem primo nostrum videre parentes,
  Cum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
  Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis
  Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
  Lethæamque ratem Cimmeriosque lacus,
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta
  Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequiquam terrear æstu!
  Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscæ celebrantur numina lymphæ
  Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
  Sive erimus seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti
  Et nivei lactis pocula mixta mero.

VI.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis
  Semper, sic hedera tempora vincta feras:
Aufer et ipse meum patera medicante dolorem:
  Sæpe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,

Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores:
Fulserit hic niveis Delius alitibus!
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem:
Aut si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit mites animos deus, ille ferocem
Contudit et dominæ misit in arbitrium,
Armenias tigres et fulvas ille leænas
Vicit et indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor et maiora valet. Sed poscite Bacchi
Munera: quem vestrum pocula sicca iuvant?
Convenit ex æquo nec torvus Liber in illis,
Qui se quique una vina iocosa colunt:
Convenit iratus nimium nimiumque severos:
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas qualis quantusque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, si qua est,
Quid valeat læsi sentiat ira dei.
Quid precor a demens? Venti temeraria vota
Aeriæ et nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra,
Sis felix et sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ:
Venit post multos una serena dies.
Ei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum,
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? Turpes discedite curæ:

Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnosia, Theseæ quondam periuria linguæ
Flevisti ignoto sola relicta mari:
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore
Alterius disces posse cavere tuos.
Nec vos aut capiant pendentia bracchia collo
Aut fallat blanda subdola lingua prece.
Etsi perque suos fallax iuravit ocellos
Iunonemque suam perque suam Venerem,
Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid totiens fallacis verba puellæ
Conqueror? Ite a me, seria verba, precor.
Quam vellem tecum longas requiescere noctes
Et tecum longos pervigilare dies,
Perfida nec merito nobis inimica merenti,
Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugit nostræ convivia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

PANEGYRICUS IN MESSALLAM.

Te, Messalla, canam, quamquam tua cognita virtus
Terret, ne infirmæ nequeant subsistere vires.
Incipiam tamen. A meritis si carmina laudes,
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua præter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis, nec munera parva
Respueris: etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cælo
Erigoneque Canisque, neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides, deus ascensurus Olympum,
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis,
Parvaque cælestis placavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
  Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso desederit aere tellus,
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem;
Ut vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
Hunc et complexus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cælo.
At quodcumque meæ poterunt audere Camenæ.

Seu tibi par poterunt — sed quod spes abnuit ultro —
Sive minus — certeque canent minus — omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi nomine charta.
Nam quamquam antiquæ gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede quique soluto.
Quis potior, certamen erit: sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
  Nam quis te maiora gerit castrisve forove?
Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorve minorve,
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
Qualis, inæquatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
  Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora vel parvæ magnum decus urbis Ulixen,
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurreret horis,
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,
Nec valuit lotos cœptos avertere cursus,
Cessit et Aetnææ Neptunius incola rupis

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho:
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos:
Incultos adiit Læstrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda:
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras:
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Quis numquam candente dies apparuit ortu,
Seu supra terras Phœbus seu curreret infra:
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deum proles levibus discurreret umbris,
Præteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Cum canibus rabidas inter fera serperet undas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et erroris miseri Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia, maior.
Iam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
Laudis et adsiduo vigeat certamine miles:

Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
Iecerit aut lento perfregerit obvia pilo,
Aut quis equum celeremque arto compescere freno
Possit et effusas tardo permittere habenas
Inque vicem modo directo contendere passu,
Seu libeat, curvo brevius decurrere gyro,
Quis parma, seu dextra velit seu læva, tueri,
Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastæ,
Aptior aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis veniant certamina Martis,
Adversisque parent acies concurrere signis,
Tum tibi non desit faciem componere pugnæ,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem,
Dexter uti lævum teneat dextrumque sinister
Miles sitque duplex gemini victoria casus.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. Testis mihi victæ
Fortis Iapydiæ miles, testis quoque fallax
Pannonius gelidas passim disiectus in Alpes,
Testis Arupinis et pauper natus in arvis,
Quem si quis videat vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ.
112a Namque, senex longæ peragit dum tempora vitæ,
Centum fecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanæ subiecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,

Quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine vestem
Indueras oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis;
Ulla nec aerias volucris perlabitur auras
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sint muta silentia votis.
Iuppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit et cælo vicinum liquit Olympum
Intentaque tuis precibus se præbuit aure
Cunctaque veraci capite adnuit: additus aris
Lætior eluxit structos super ignis acervos.
  Quin hortante deo magnis insistere rebus
Incipe: non idem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia nec latis audax Hispania terris
Nec fera Theræo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus vel regia lympha Choaspes
Profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Aret Chaldæis, ante unda parum hospita, campis,
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe
Impia vel sævis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus,
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus
Teque infra vecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso consistit in aere tellus

Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duæ gelido vastantur frigore semper:
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque,
Quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.
At media est Phœbi semper subiecta calori,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem
Seu celer hibernas properat decurrere luces:
Non igitur presso tellus exsurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent neque pabula terræ:
Non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est interque rigentes
Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similis utrimque tenens vicinia cæli
Temperat, alter et alterius vires necat aer:
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus:
Hinc et colla iugo didicit submittere taurus
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus proscinditur ære;
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
  Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,

Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea fecundas ad deficientia messis,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis et nimium furique lupoque,
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Cum memor ante actos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant spolierque relictis,
Non te deficient nostræ memorare Camenæ.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
Pro te vel densis solus subsistere turmis
Vel pronum Aetnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcumque, tuum est. Nostri si parvula cura
Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.
Quod tibi si versus noster, totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
Sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
Quandocumque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

ADNOTATIONES EXEGETICÆ.

AD LYGDAMI ELEGIAS.

Quis fuerit auctor elegiarum sex, quæ in editionibus Tibulli vulgo tertium librum efficiunt, ignoramus. Poeta se ipsum ficto nomine *Lygdamum* appellat II. 29. Fuit certe vir Romanus, non peregrinus,* ut I. 1—2. docemur: «Martis Romani festæ venere kalendæ: Exoriens *nostris* hic fuit annus *avis*». Ortus erat honesta domo; dicit enim de uxore sua infideli IV. 60: «Nec gaudet casta nupta Neæra domo» et VI. 59—60. opponit sibi rivalem, hominem ignobilem et ignotum: «fugit nostræ convivia mensæ *Ignotum* cupiens vana puella *torum*». Natus est anno a. Chr. n. 43., quo Hirtius et Pansa consules bello Mutinensi perierunt, ut ipse testatur V. 17—18: «Natalem primo nostrum videre parentes, cum cecidit fato consul uterque pari».

Quinque elegias (I—IV. et VI.) sacravit amori uxoris, quæ eum deseruerat. Mulierem ficto nomine Neæram appellavit more poetarum eroticorum. Unam elegiam (V.) scripsit ad amicos innominatos.

Tota eius poesis pendet a Tibullo, Propertio, Horatio et Catullo; respicit interdum etiam Vergilii Eclogas et Georgica. Eum autem diligentissime imitatus est Ovidius

* Ut interpretes nonnulli falso suspicabantur, qui Græcum Lygdami nomen pro vero poetæ nomine accipiebant.

a iuvene usque ad senectutem in omnibus fere libris suis. Noverat poemata eius etiam auctor Culicis nobis ignotus.

Scripsit carmina iuvenis (cf. V. 15. sqq.) circa annum 19. a. Chr. n. Imitatur enim Tibulli elegias ad Nemesin pertinentes, quas omnes post tertium Propertii librum anno 22. editum scriptas esse docuimus in editione nostra Tibulliana,[1] imitatur præterea Tib. II. 5. (cf. infra adn. ad Lygd. IV. 23.), quam elegiam anno fere 20. scriptam esse docuimus ibidem;[2] Lygdamum autem secutus est Ovidius iam Am. l. III. eleg. 9. (in epicedio Tibulli) paulo post Tibulli mortem (a. 19. a. Chr. n.) scripta[3] et alibi quoque in libris Amorum.

Auctor, cum uxori Neæræ carmina sacraret, certe non eo consilio elegias scripsit, ut eas ederet. Legerunt tamen versus amici eius, inter quos Ovidium, Messallæ cultorem, fuisse vel ex eo verisimile fit, quod Lygdamus et ipse procul dubio iis poetis est adnumerandus, qui circa Messallam erant. Aliter enim non possumus explicare, cur carmina eius inveniantur in corpore, quod dicitur, Tibulliano inter opera Tibulli, Sulpiciæ et auctoris Panegyrici in Messallam, qui omnes Messallæ cultores fuerunt quorumque opera in domo Messallarum servata esse viri docti iure suspicantur.

Tempus, quo carmina eius duobus primis Tibulli libris

[1] Cf. p. 338: «Scriptæ sunt elegiæ in Nemesin omnes post tertium Propertii librum a. 22. editum, cuius libri carmina Tibullus sæpius imitatur, ut in adn. exeg. ad II. 4. vss. 15—16., 27—33; II. 6. vs. 8; II. 3. vss. 47., 56., 57., 71—76. docuimus; immo etiam Prop. III. 5. et 12. imitatur, quæ carmina Propertius procul dubio a. 22. a. Chr. n. scripsit, cum Augustus in Orientem proficisceretur, ut signa Crassi a Parthis adempta recuperaret».

[2] Cf. edit. Tibull. p. 338. et 340.

[3] Cf. infra adn. exeg. ad Lygd. eleg. IV. 43. et VI. 41.

una cum versibus illis, qui nunc in libro quarto leguntur, adiecta et in unum corpus redacta publici iuris facta sunt, accuratius definire non possumus. Edita iam erant certe imperante Claudio, nam Seneca in tragœdiis sæpius imitatur Lygdamum, ut infra in adnotationibus exegeticis suo loco docebimus.

I.

Argumentum. Kalendis Martiis, festo Matronalium, Lygdamus ab uxore Neæra relictus rogat Musas, quonam honore donare debeat puellam sibi etiam nunc caram (1—6.). Sequitur responsum Musarum, quæ eum volumen carminum suorum Neæræ mittere iubent elegantissime ornatum (7—14.). Poeta deinde iterum alloquitur Musas et orat, ut ipsæ librum Neæræ deferant (15—20.). In fine mandata iis dat ad puellam, cuius gratiam amore fideli sibi reconciliari posse sperat (21—28.).

Festo Matronalium a matronis et puellis Romanis in honorem Iunonis Lucinæ celebrato mulieribus mariti, propinqui et amici munera mittere solebant. Est igitur hoc carmen dedicatio doni, donum autem ipsum constare videtur ex carminibus, quæ sequuntur, tribus (II—IV.), quibus Lygdamus animum Neæræ mollire eamque, ut ad maritum fidelem redeat, permovere vult.

Ad totum carmen cf. Tib. IV. 2., ubi kalendis Martiis Sulpiciæ dedicat versus suos (IV. 3—6.) in honorem eius scriptos.

V. 1—4. *Martis . . . kalendæ,* kalendæ Martiæ; Romulus enim mensem primum anni Romani a nomine patris Martium vocasse credebatur; cf. Ov. Fast. III. 73—76. (Romulus ad Martem): «Arbiter armorum, de cuius sanguine

natus Credor (et ut credar, pignora multa dabo), A te principium Romano dicimus anno, Primus de patrio nomine mensis erit». Lygdamus ante oculos habuit Tib. IV. 2, 1: «Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis». — *Romani*, quia Mars genuit Romulum et Remum eratque totus populus Romanus in eius tutela. — *festæ* . . . *kalendæ*, festum Matronalium kalendis Martiis celebratum; poeta respexit Tib. IV. 2, 21: «Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis» i. e. celebrate Sulpiciam die Matronalium. — *Exoriens* . . . *annus*, initium anni apud veteres Romanos fuit mensis Martius, sed, cum inde ab anno 601/153. consules mense Ianuario magistratum inirent, hic mensis cœpit pro initio anni haberi. — *hic*, pronomen ad *kalendæ* (vs. 1.) referendum, quod tamen per attractionem numerum et genus vocis *annus* (vs. 2.) sequitur. — *Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa* . . . *munera*, locum ante oculos habuisse videtur Martial. VIII. 33, 15: «Nec vaga tam tenui discurrit aranea tela». — *vaga* . . . *munera*, in urbe passim, sed non sine certo fine vagantia; munera enim matronis et puellis die Matronalium missa alia alio tendunt. Talis est adiectivi usus etiam apud Catull. 64, 277: «Ad se quisque vago passim pede discedebant». — *certa* . . . *pompa*, certis personis destinata et certum finem petens. *Pompa* autem dicitur de servis munera portantibus et de donorum ipsorum multitudine, ut Plautus apud Macrob. Saturn. II. 12: «Quis est mortalis tanta fortuna adfectus unquam, Quam ego nunc sum, quoius hæc ventri portatur pompa» i. e. cibi multi et varii. — *Perque vias* . . . *perque domos*, i. e. munera vias emensa intrant domos matronarum.

V. 5—8. *Dicite, Pierides*, consilium rogat Musas, quæ ei infra vss. 7—14. respondent; cf. Ov. Fast. VI. 799—

801: «Dicite, Pierides, quis vos adiunxerit isti, Cui dedit invitas victa noverca manus? Sic ego; sic Clio» etc., ubi verba Clius sequuntur. — *Pierides*, Musæ, quarum patria erat terra Pieria in monte Olympo; cf. Hes. Theog. 52—54: Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο, Τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα Μνημοσύνη. — *honore*, dono honorifico. — *Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen*, poeta debebat dicere: seu mea, seu fallor, mihi *pariter* cara; sed propter præcedens *fallor* minus accurate posuit: *tamen*. — *fallor*, i. e. fallor, cum eam puto meam esse. — *Carmine*, etc., vss. 7—14. sunt verba Musarum ad poetam.— *formosæ . . . avaræ*, hoc loco *formosæ* significant puellas, quæ pulchritudine maxime superbiunt et præconium formæ a poetis oblatum donis pretiosis præferunt; opponuntur iis *avaræ*, de quibus Tib. II. 4, 13—14: «Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo: Illa cava *pretium* flagitat usque manu». — *ut digna est*, sc. Neæra digna est, quæ carminibus celebretur; cf. Tib. IV. 2, 21. et 24. de Sulpicia: «Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis . . . Dignior est vestro nulla puella choro»; Ov. Am. I. 10, 60—61: «Est quoque carminibus meritas celebrare puellas Dos mea». — *versibus . . . tuis*, i. e. quibus poeta Neæram celebravit; cf. infra IV. 57: «Carminibus celebrata tuis formosa Neæra». — *tuis*, ex coniectura Mureti; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 9—14. *Lutea* etc., locus de ornamentis libri; poeta ante oculos habuit Catull. 1, 1—2: «Quoi dono lepidum novum libellum, Arida modo pumice expolitum» et Catull. 22, 6—8: «chartæ regiæ, novi libri, Novi umbilici, lora rubra, Membrana Directa plumbo et pumice omnia æquata». Lygdami locum respexit Ov. Trist. I. 1, 1—14., ubi exsul describit libellum suum in urbem mittendum; Lygdamum

et Ovidium simul imitatur Martial. III. 2, 7—11. — *Lutea sed niveum involvat membrana libellum,* i. e. volumen papyraceum tegatur involucro membranaceo. Hoc involucrum erat alias minio aut purpura pictum, unde Ov. Trist. I. 1, 5. ad librum suum: «Nec te purpureo velent vaccinia fuco» et Martial. III. 2, 10: «Et te purpura delicata velet». Lygdamus amorem in Neæram testaturus luteo involucro uti vult, nam flavus erat color amoris et nuptiarum; cf. Catull. 61, 8—10. de Hymenæo: «Flammeum cape, lætus huc, Huc veni niveo gerens Luteum pede socuum» et 68, 133—134. de Amore: «Cupido Fulgebat crocina candidus in tunica»; Ov. Met. X. 1. de Hymenæo: «croceo velatus amictu». Quare sponsæ die nuptiarum flammeo luteo caput velabant; cf. Plin. N. H. XXI. 46: «lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum feminis concessum». Huc pertinent etiam Tib. II. 2, 17—18., ubi Cornuto pro amore uxoris vota facienti optat: «Utinam strepitantibus advolet alis *Flavaque* coniugio vincula portet Amor». — *Lutea sed niveum,* iidem colores opponuntur Catull. 61, 9—10. (ad Hymenæum): «Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum», quem locum Lygdamus respexit. — *sed,* Musæ monent poetam: «Sed sit liber etiam externo habitu pulcher». — *niveum . . . libellum,* papyrus albi coloris, nam, ut Plin. N. H. XIII. 78. dicit: «spectatur in chartis tenuitas, densitas, *candor,* levor». — *Pumex cui canas tondeat ante comas,* oræ papyri, ne quid asperi remaneat, poliantur pumice. Contrarium dicit Ov. Trist. I. 1, 11—12. de libello suo: «Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes, Hirsutus passis ut videare comis». — *cui,* ex coniectura Huschkii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *canas . . . comas,* quia, ut vidimus, papyrus alba est. — *ante,* antequam membrana

involvat papyrum. — *comas,* fibras papyri exstantes. — *Summaque prætexat tenuis fastigia charta,* superiori oræ libelli præfigatur schedula angusta, cui inscribatur auctoris nomen. Hæc schedula vocabatur index sive titulus; cf. Ov. Ex Pont. IV. 13, 7: «Ipse quoque ut chartæ titulum de fronte revellas, Quod sit opus videor dicere posse tuum». — *tenuis . . . charta,* angusta; cf. Hor. Carm. I. 33, 5: «insignem tenui fronte Lycorida». — *charta,* ex coniectura Beckeri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *littera rubra,* titulus enim operis rubro colore scribebatur, unde Ov. Trist. I. 1, 7: «titulus minio . . . notetur» et Martial. III. 2, 11: «Et cocco rubeat superbus index». — *rubra,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Atque inter geminas pingantur cornua frontes,* extremæ voluminis oræ impactus erat bacillus, cui liber circumvolveretur. Partes huius bacilli extremæ inter oras libri convoluti supra et infra exstantes vocabantur cornua, quæ ornabantur auro aut pingebantur diversis coloribus. Lygdamum respiciunt Ov. Trist. I. 1, 8: «Candida nec nigra cornua fronte geras» et Martial. III. 2, 8—9: «Et frontis gemino decens honore Pictis luxurieris umbilicis», ubi *umbilici* cornua significant. — *geminas . . . frontes,* ora superior et inferior libri, ut apud Ov. Trist. I. 1, 11: «Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes». — *Sic etenim comptum mittere oportet opus,* nam varii membranæ, libri, tituli et cornuum colores sunt ornamenta libri. Contrarium dicit Ov. Trist. I. 1, 3—4. de libro suo: «Vade, sed incultus, qualem decet exsulis esse: Infelix habitum temporis huius habe».

V. 15—18. *Per vos* etc., iunge: oro vos, Musæ, per Castaliam umbram Pieriosque lacus; in formulis enim obtestandi præpositio *per* sæpissime removetur a casu suo;

cf. Tib. I. 5, 7—8: «Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti . . . quæso» et IV. 5, 7—8: «per te dulcissima furta . . . rogo». — *auctores huius mihi carminis,* Musæ, quæ mihi suasistis, ut versus meos hoc carmine Neæræ dedicarem. — *auctores . . . carminis,* ut Tib. II. 4, 13: «carminis auctor Apollo». — *Castaliamque umbram Pieriosque lacus,* Lygdami locum ante oculos habuisse videtur ignotus auctor Culicis vss. 15—18: «qua Parnasia rupes Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte *Castaliæquæ* sonans liquido pede labitur unda. Quare, *Pierii laticis* decus, ite sorores». — *Castaliamque umbram,* nemus in monte Parnaso, ubi erat fons Castalius Apollini sacer. Poeta respicere videtur Prop. III. 3, 13: «Castalia speculans ex arbore Phœbus»; cf. etiam Senec. Oed. 280: «Frondifera sanctæ nemora Castaliæ». — *Pieriosque lacus,* fontes Pieridum (cf. adn. supra ad vs. 5.) i. e. Musarum, e. g. Aganippe et Hippocrene in monte Helicone; cf. Hor. Carm. III. 4, 40: «Pierio antro» i. e. antro Musarum. — *lacus,* fontes, ut Prop. III. 3, 31—32. de Hippocrene, fonte Musarum: «columbæ Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu». — *Ile domum,* sc. in domum Neæræ; minus accurate dictum. — *cultum . . . libellum,* eleganter ornatum; contrarium dicit Ov. Trist. I. 1, 3. de libro suo: «Vade, sed *incultus,* qualem decet exsulis esse». — *nullus defluat inde color,* colores enim supra vss. 9—14. descripti sunt maxima ornamenta libri.

V. 19—22. *Illa mihi referet,* nuntiabit. — *si nostri mutua cura est,* ut Paneg. in Mess. 198—199: «nostri si parvula cura Sit tibi»; Lygdamum imitatur Martial. X. 20, 9: «Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est». — *si . . . est,* coniunctio *si* in interrogatione indirecta cum indicativo, ut Hor. Ep. I. 7, 39: «Inspice, si possum do-

nata reponere lætus». — *mutua cura,* amor mutuus, ut Ov. Met. VII. 800: «Mutua cura deos et amor socialis habebat». — *toto pectore deciderim,* poeta ante oculos habuisse videtur Catull. 66, 24—25: «Ut tibi tum toto pectore sollicitæ Sensibus ereptis mens excidit». Cf. Hom. Il. XXIII. 595: ἤ σοίγε, διοτρεφές, ἤματα πάντα Ἐκ θυμοῦ πεσέειν; Cic. Ep. ad Fam. VII. 14: «Sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc veniam, antequam plane ex animo tuo effluo»; Ov. Her. 2, 105: «Utque tibi excidimus, nullam puto Phyllida nosti». — *Sed primum meritam larga donate salute Atque hæc submisso dicite verba sono,* locum imitatur Stat. Silv. IV. 4, 10—11. ad epistulam suam Marcello missam: «Cui primum solito vulgi de more salutem, Mox inclusa modis hæc reddere verba memento».— *meritam,* quæ digna est tali salutatione. — *larga donate salute,* dicite ei salutem plurimam formula sollemni. — *submisso . . . sono,* vult enim modeste et verecunde exorare puellam, ut in gratiam secum redeat; cf. Ov. Met. VII. 90: «auxilium submissa voce rogavit» et Ex Pont. IV. 3, 42: «rogavit Submissa fugiens voce clientis opem».

V. 23—28. *vir quondam,* maritus olim. — *nunc frater,* qui te, quamquam eum repudiasti maritum, non minus amat, quam frater sororem. — *Teque suis iurat caram magis esse medullis,* iurat te sibi cariorem esse medullis suis (abl. comp.); cf. Mæcenatis epigramma in Vita Horatii Suetoniana: «Ni te visceribus meis, Horati, Plus iam diligo». — *Sive sibi coniunx sive futura soror,* locum ante oculos habuisse videtur Pseudo-Senec. Oct. 671., ubi Octavia a Nerone repudiata dicit: «Soror Augusti, non uxor ero». — *futura,* supple: es; rarior ellipsis. Cf. Lucan. VII. 781—781: «quos aut Pharsalia vidit, Aut ultrix *visura* dies», ubi supple: est. — *Sed potius coniunx,*

supple: sis. — *huius spem nominis illi Auferet exstincto pallida Ditis aqua,* usque ad mortem non desinet hoc sperare. — *pallida Ditis aqua,* amnis infernus, per quem vehuntur animæ mortuorum; *pallida,* sunt enim omnia inferna mortis pallore infecta; cf. infra V. 21: «pallentes undas» et Anytes epigramma Anth. Pal. VII. 486, 4: Χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα. Lygdamus ante oculos habuit Catull. 65, 5—6: «Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris Pallidulum manans adluit unda pedem». — *Ditis aqua,* amnis infernus, ut infra III. 37—38: «in vastos amnes nigramque paludem Ditis».

II.

Argumentum. Lygdamus Neæra sibi erepta, cum tantum dolorem ferre non possit, vitæ tot mala perpessæ se pertæsum esse fatetur vultque mortem sibi ipse consciscere (1—8.). Deinde ultima mandata dat et copiose describit, quomodo ab uxore eiusque matre iusta sibi dari velit (9—26.). In fine legitur titulus sepulcro inscribendus, qui mortis causam dolorem ob ereptam Neæram fuisse significat (17—30.).

V. 1—4. *Qui primus caram iuveni carumque puellæ Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit,* poeta ante oculos habuit Tib. I. 10, 1—2: «Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses? Quam ferus et vere ferreus ille fuit». — *caram iuveni . . . Eripuit,* ut Prop. II. 8, 1: «Eripitur nobis iam pridem cara puella». — *caram,* sc. puellam. — *ferreus ille fuit,* eadem verba in fine pentametri Tib. I. 10, 2., initio hexametri Tib. I. 2, 65. — *Vivere et erepta coniuge qui potuit,* cf. Martial. X. 35, 19—21. de Sulpicia

poetria, Caleni uxore: «ea nec Tonantis uxor Nec Bacchi nec Apollinis puella Erepto sibi viveret Caleno».

V. 5—8. *firmus in hoc,* in hac re toleranda, ut dicitur: firmus in sententia, in causa suscepta etc. — *patientia,* sc. in dolore perferendo; cf. Hor. Carm. I. 24, 19—20: «Durum: sed levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas». — *ingenio,* exemplo scriptorum antiquiorum ponitur hoc loco pro: animo, pectore, corde (cf. infra *fortia corda* vs. 6.); poeta fortasse ante oculos habuit Acc. trag. 683: «Nullum est *ingenium* tantum neque *cor* tam ferum, quod non labascat lingua, mitescat malo». Cf. etiam Enn. Ann. 395: «ingenium forte» et Sall. Iug. 103, 2: «quinque elegit, quorum ingenia validissima erant». — *fortia corda,* intellege: vel (etiam) fortia corda frangit dolor, ut infra IV. 76: «Vincuntur molli pectora dura prece» i. e. vel dura pectora. His igitur locis in ipso adiectivo inest notio: vel, etiam. — *loqui pudor est,* eleganter pro: pudet; similiter Ov. Rem. 359: «Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere», Met. XIV. 18—19: «Pudor est promissa . . . referre» et Fast. V. 532: «pudor est ulteriora loqui». — *vitæque . . . perpessæ,* genitivus, iunge cum *tædia.* — *tædia nata,* supple: esse; cf. Hor. Sat. I. 3, 111: «Iura inventa metu iniusti fateare necesse est». — *tædia,* poeta mortem sibi ipse consciscere vult, sed utitur euphemismo orationis.

V. 9—14. *Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram,* i. e. in rogo combustus fuero; credebant enim antiqui animam in igne a corpore solvi, ut Prop. IV. 7, 2: «Luridaque evictos effugit umbra rogos»; Ov. Fast. V. 463: «elapsa rogi flammis et inanis imago» et Trist. IV. 10, 86: «Et gracilis structos effugit umbra rogos». Quare apud Romanos in funere imperatorum aquila di-

mittebatur e rogo, quæ animam tamquam in cælum ferret; cf. *Gardthausen:* Augustus und seine Zeit, p. 1276. — *tenuem . . . umbram,* quia umbra est inanis imago corporis; poeta imitatur Verg. Ge. IV. 472: «Umbræ ibant tenues simulacraque luce·carentum»; cf. etiam Verg. Aen. VI. 292: «tenues sine corpore vitæ»; Ov. Trist. IV. 10, 86: «gracilis umbra» et Fast. II. 565: «animæ tenues». — *Candidaque ossa . . . nigra favilla,* eadem antithesis infra vs. 17—18: «ossa . . . nigra candida veste legent». — *Ante meum veniat longos incompta capillos Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum,* poeta imitatur Tib. I. 3, 7—8: «Non (hic mihi) soror . . . quæ . . . fleat effusis ante sepulcra comis». — *Ante meum veniat . . . rogum, ante* pro *ad* insolenter, ut auct. Rhetor. ad Herenn. I. 14: «Ergo in iudicium non venit: at in senatum aut ante imperatorem et in consilium talis causa potest venire» et Liv. VII. 41, 1: «Quinctius ante signa progressus». — *longos incompta capillos,* comis effusis, quod erat signum luctus; Lygdamus ante oculos habuit Tib. I. 3, 91: «longos turbata capillos», Lygdamum Ov. Am. I. 1, 20: «longas compta puella comas». — *Et fleat ante meum . . . rogum,* ut Tib. II. 4, 46: «ardentem flebitur ante rogum».— *matris comitata dolore,* a matre dolente; abstractum pro concreto, ut Prop. I. 20, 15—16: «Quæ miser ignotis error perpessus in oris Herculis» i. e. Hercules errans. — *Mæreat hæc genero, mæreat illa viro,* verbum *mærere* insolenter cum ablativo personæ iungitur ad normam talium locutionum, ut Hor. Carm. III. 14, 5: «Unico gaudens mulier marito» et Prop. II. 9, 17: «Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis».

V. 15—18. *Præfatæ ante meos manes animamque precatæ,* Neæra et mater eius ante ossilegium invocant

Divos Manes mortui, ut supremos honores benigne accipiant. — *Præfatæ,* initio adfate; proprie dicitur de invocatione deorum ante rem divinam. Cf. Verg. Aen. XI. 302: «Præfatus divos solio rex infit ab alto» et Ov. Fast. VI. 303—304: «precando Præfamur Vestam». — *animamque precatæ,* absolute dictum: ad animam meam preces dirigentes, ut dicitur: precari deos. — *pias,* pio ossilegii officio functuras. — *liquore,* flumine vivo, i. e. aqua ex fonte aut fluvio petita manus lavare debebant homines ad sacra accedentes; cf. Tib. II. 1, 13—14: «Casta placent superis: pura cum veste venite Et manibus puris sumite fontis æquam». — *ossa . . . legant,* ossa mortui cremati colligere erat pium lugentium officium. — *Incinctæ,* discinctæ, non cinctæ, tunicis recinctis. Nihil enim in sacris nexi aut vincti esse debebat; cf. Serv. ad Verg. Aen. II. 134: «piaculum est in sacrificiis aliquid esse religatum». Quare homines sacris operantes tunicas solvebant, feminæ etiam crines, quod etiam in cultu deorum inferorum et Manium usitatum erat; cf. Tib. I. 5, 15—16: «Ipse ego velatus filo tunicisque solutis Vota novem Triviæ nocte silente dedi», Ov. Met. VII. 182—183. de Medea Hecaten adorante: «Egreditur tectis vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos»; Suet. Aug. 101. de funere Augusti: «Reliquias (i. e. ossa Augusti) legerunt primores equestris ordinis tunicati et discincti pedibusque nudis». *Incinctus* igitur hoc loco non significat succinctum, sed discinctum, cuius significationis huc usque unum exemplum erat notum apud Isid. Orig. X. 151. de muliere gravida: «Incincta i. e. sine cinctu, quia præcingi fortiter uterus non permittit», unde Gallice mulier gravida vocatur *enceinte.* Ego addo Ov. Fast. V. 675: «Huc venit *incinctus tunicam* mercator», ubi agitur

de mercatore festo Mercurii sacris operante et ob id ipsum discincto, quod fugit interpretes. — *nigra . . . veste*, ablativus non cum *incinctæ*, sed cum *legant* est iungendus: legant ossa mea veste nigra i. e. in vestem; solebant enim lugentes ossa in sinum vestis suæ legere et Lygdamus procul dubio imitatur Tib. I. 3, 5—6: «non hic mihi mater, Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus».

V. 19—22. *Et primum spargant . . . Lyæo . . . lacte*, ossa collecta consperguntur vino et lacte, quorum usus erat in inferiis et in sacrificiis, quæ diis inferis offerebantur; cf. infra V. 33—34: «Interea nigras pecudes promittite Diti Et nivei lactis pocula mixta mero». — *annoso . . . Lyæo*, ut infra VI. 58: «annosum merum». — *Lyæo*, cognomen Bacchi curas solventis; hoc loco per metonymiam vinum significat. Cf. Hor. Epod. 9, 37—38: «Curam metumque Cæsaris rerum iuvat Dulci Lyæo solvere». — *niveo . . . lacte*, ut infra V. 34: «nivei lactis pocula» et Verg. Ecl. 2, 20: «nivei quam lactis abundans».— *fundere lacte*, perfundere, ut Tib. I. 7, 50: «multo tempora funde mero». — *carbaseis . . . velis*, velamentis carbaseis, i. e. ex tenuissimo lini genere factis; cf. Plin. N. H. XIX. 10: «Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum torrentis in quo politur natura, qui adluit Tarraconem. Et tenuitas mira ibi primum carbasis repertis» et Cic. Verr. 2, 5, 12: «tabernacula carbaseis intenta velis». — *umorem tollere*, ossa igitur vino et lacte conspersa detergebantur linteis. — *marmorea . . . domo*, urna marmorea, quæ est quasi domus mortui: cf. Soph. Elect. 1165. (Electra ad cineres, quos Orestis esse credidit): Τοιγάρ σὺ δέξει μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος, i. e. in urnam.

V. 23—26. *Illuc*, ex coniectura Baehrensii; cf. adn. crit. ad h. l. — *quas mittit . . . merces*, odores, quibus cine-

res in urna positi misceri solebant; Lygdamus ante oculos habuit Tib. I. 3, 7: «Non soror, Assyrios cineri quæ reddat odores». Cf. Ov. Trist. III. 3, 65. et 69—70: «Ossa tamen facito parva referantur in urna . . . Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce Inque suburbano condita pone solo». — *mittit,* usitata vox de mercibus peregrinis Romam advectis; cf. Verg. Ge. I. 57: «India mittit ebur, molles sua tura Sabæi». — *dives Panchaia,* fabulosa insula in Oceano Indico, ab Euhemero in Historia Sacra descripta, quæ arboribus odoriferis abundare dicebatur. Euhemeri librum in Latinum transtulit Ennius, unde frequens apud Romanos Panchaiæ mentio. Lygdamus ante oculos habuit Lucr. II. 417: «Araque Panchæos exhalat propter odores»; Verg. Ge. II. 139: «Totaque turiferis Panchaia pinguis harenis» et IV. 379: «Panchæis adolescunt ignibus aræ». Cf. Ov. Met. X. 307—309: «sit dives amomo Cinnamaque costumque suum sudataque ligno Tura ferat floresque alios Panchaia tellus». — *Panchaia,* quattuor syllabæ, ut Verg. et Ov. ll. ll. — *Eoique Arabes,* orientales; poeta respexit Verg. Ge. II. 115: «Eoasque domos Arabum». Arabia Felix fert tus et myrrham. — *pinguis et Assyria,* Syria, nam odores Orientis ex Syria Romam advehebantur; Assyria et Syria autem sæpe confunduntur apud scriptores Romanos. Cf. adn. infra ad IV. 28: «Syrio rore» et ad VI. 63: «Syrio nardo». Lygdamus ante oculos habuit Tib. I. 3, 7: «Assyrios cineri quæ reddat odores» et Prop. II. 13, 29—30. de unguentis mortuo dandis: «Osculaque in gelidis pones suprema labellis, Cum dabitur Syrio munere plenus onyx». — *pinguis,* fertilis, ut Prop. III. 5, 5: «Campania pinguis». — *nostri memores lacrimæ,* epitheton a persona ad rem translatum, ut Hor. Carm. III. 11, 51—52: «nostri me-

morem sepulcro Scalpe querelam». — *componi*, sepeliri; componi enim dicebantur proprie, quorum ossa collecta et in urna composita condebantur in sepulcro; cf. Ov. Fast. III. 545—547: «Dido . . . Arserat exstructis in sua fata rogis Compositusque cinis» et V. 425—426: «exstincto cineri sua dona ferebant Compositique nepos busta piabat avi».

V. 27—30. *Sed tristem mortis demonstret littera causam,* causa mortis vulgo inscribebatur sepulcris; Lygdamus ante oculos habuit Tib. I. 3, 54—56: «Fac lapis inscriptis stet super ossa notis: Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus, Messallam terra dum sequiturque mari». Lygdamum respexit incertus auctor Culicis (vss. 411—412.): «tum fronte locatur Elogium, tacita format quod littera voce». — *littera,* inscriptio, ut supra I. 12. et Culicis l. l. — *in celebri fronte,* in fronte sepulcri a multis frequentati. Sepulcra enim antiquorum sita erant plerumque prope viam publicam. Contrarium optat Prop. III. 16, 25: «Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti, Qua facit assiduo tramite vulgus iter». — *notet,* signet, inscribat; cf. Ov. Am. I. 4, 20: «verba notata mero». Etiam *notæ* sæpe significant litteras, ut Tib. I, 3, 54: «lapis inscriptis . . . notis». — *dolor huic et cura Neæræ,* ad genitivi obiectivi usum cf. Hor. Epod. 9, 37: «Curam metumque Cæsaris rerum». — *causa perire,* causa pereundi; insolentior infinitivi usus ad exemplum Græcorum. Cf. Verg. Aen. X. 90: «Quæ causa fuit consurgere in arma Europamque Asiamque».

III.

Argumentum. Poeta queritur nihil sibi profuisse vota diis facta turaque oblata non divitiarum causa, sed ut una cum Neæra vitam sibi peragere liceret (1—10.). Non enim se moveri divitiis maximeque cupere diem illum videre, qui Neæram sibi reddat (11—26.). Nam sine Neæra nullis se opibus delectari, at cum illa beatissimum vel in summa paupertate fore (27—32.). In fine timidis votis opem Iunonis et Veneris implorat seque, si fata reditum uxoris negent, in Orcum descendere velle dicit (33—38.).

V. 1—4. *cælum votis implesse,* multitudinem votorum significat; cf. Verg. Aen. IX. 24: «oneravitque æthera votis»; Liv. VIII. 39, 4: «urbem lamentis implere»; Val. Flac. II. 167: «tum voce deos, tum questibus implent». — *Blandaque cum multa tura dedisse prece,* poeta ante oculos habuit Tib. I. 8, 70: «Nec prodest sanctis tura dedisse focis». — *Blandaque . . . tura,* diis quasi blandientia et ob id cara; poeta imitatur Hor. Carm. III. 23, 18—19: «Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos penates»; cf. Prop. IV. 6, 5: «Costum molle date et blandi mihi turis honores». — *Non ut marmorei prodirem e limine tecti,* ut possessor domus magnificæ; cf. Hor. Epod. 1, 29—30: «Neque ut superni villa candens Tusculi Circæa tangat mœnia». Contra de pauperis domo Hor. Sat. II. 7, 12: «unde Mundior exiret vix libertinus honeste». — *clara . . . domo,* magnificentiam domus significat, ut Cic. De off. I. 39: «Cn. Octavio honori fuisse accepimus, quod præclaram ædificasset in Palatio et plenam dignitatis domum». — *conspicuusque,* qui hominum oculos in se vertit divitiis; poeta respexit Tib. I. 2, 69—70: «Totus

et argento contextus, totus et auro, Insideat celeri conspiciendus equo», II. 3, 52: «Incedat donis conspicienda meis» et IV. 6, 3—4: «tibi se lætissima compsit, Staret ut ante tuos conspicienda focos».

V. 5—10. *Aut ut multa mei renoverant iugera tauri,* post domorum urbanarum magnificentiam agrorum latifundia commemorat, ut Tib. II. 3, 41. sqq. Cf. Hor. Epod. 1, 25—26: «Non ut iuvencis inligata pluribus Aratra nitantur mea» et Prop. IV. 1, 129: «Nam tua cum multi versarent rura iuvenci». — *multa . . . iugera,* ut Tib. I. 1, 2: «Et teneat culti iugera multa soli». — *renovarent,* inverterent quotannis denuo ad novam sationem; verbum renovandi tali sensu apud scriptores Lygdamo antiquiores non occurrit. Lygdamum imitatur Ov. Am. I. 3, 9: «Nec meus innumeris renovatur campus aratris», Met. I. 110: «Nec renovatus ager gravidis canebat aristis», Met. XV. 125: «durum renovaverat arvum» et Fast. I. 159: «Tum patitur cultus ager et renovatur aratro». — *terra benigna,* fertilis, ex Tib. I, 3, 62: «Floret odoratis terra benigna rosis»; cf. Ov. Am. I. 10, 56: «Præbeat Alcinoi poma benignus ager». — *Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,* ut gaudia mea sociarem cum gaudiis tuis; cf. Tib. I. 6, 63—64: «proprios ego tecum, Sit modo fas, annos contribuisse velim» et Senec. Epist. 3: «Cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce». — *Inque tuo caderet nostra senecta sinu,* cf. Prop. IV. 11, 64: «Condita sunt vestro lumina nostra sinu» et Ov. Trist. IV. 8, 11—12: «Inque sinu dominæ carisque sodalibus inque Securus patria consenuisse mea». — *caderet nostra senecta,* occiderem ego senex; abstractum pro concreto, ut supra II. 13: «caræ matris comitata dolore»; Tib. I. 2, 11: «mala si qua tibi dixit dementia nostra» i. e. ego

demens; Hor. Carm. II. 6, 6: «Tibur ... Sit meæ sedes utinam senectæ». — *permenso ... tempore lucis,* peracto tempore vitæ; cf. Senec. Oed. 760—761: «proles Uno ætatem permensa die» et Martial. IX. 29, 1: «Sæcula Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ». Ad sensum passivum participii cf. Apul. Met. p. 209: «aliquanto viæ permenso spatio». — *defunctus tempore,* de mortuo, ut Verg. Ge. IV. 475: «defunctaque corpora vita» et Hor. Ep. II. 1, 21—22: «terris semota suisque Temporibus defuncta». — *lucis,* vitæ; cf. Verg. Aen. III. 311. de mortuis: «lux alma recessit», Lucret. III. 1054: «decurso lumine vitæ». — *Nudus Lethæa cogerer ire rate,* poeta imitatur Prop. III. 5, 13—14: «Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas: Nudus ad infernas, stulte, vehere rates»; cf. Sil. Ital. V. 267: «Nudum Tartarea portabit navita cymba». — *Lethæa ... rate,* inferna rate Charontis, ut infra V. 24: «Lethæamque ratem». Lethe enim sæpe ponitur pro quovis fluvio Orci et pro toto Orco; cf. Tib. I. 3, 79—80: «Danai proles ... In cava Lethæas dolia portat aquas» et Anth. Pal. IX. 279: Ληθαίη ἄκατος; Simonid. Anth. Pal. VII. 25: λείπων 'Ηέλιον Λήθης ἐνθάδ' ἔκυρσε δόμων; Stat. Theb. VI. 476. de Cerbero: «ianitor atræ Impavidus Lethes».

V. 11—16. *Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri Arvaque si findant pinguia mille boves,* poeta ante oculos habuit Prop. III. 5, 3. et 5: «Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro ... Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur»; cf. etiam Tib. I. 1, 1—2: «Divitias alius fulvo sibi congerat auro Et teneat culti iugera multa soli». — *pondus ... divitis auri,* poeta imitatur Tib. I. 9, 31: «nullo ... divitis auri Pondere» et I. 10, 7: «Divitis hoc vitium est auri». — *Quidve domus* etc., vss. 13—16. poeta imitatur Prop. III. 2,

9—12: «Quod non Tænareis domus est mihi fulta columnis, Non camera auratas inter eburna trabes, Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas». — *Phrygiis . . . columnis*, e marmore Phrygio, quod etiam Horatius commemorat Carm. III. 1, 46: «Phrygius lapis». Cf. Porphyr. ad Hor. l. l.: «Phrygius lapis marmor est Synnadicum. Synnada enim esse dicunt urbem Phrygiæ, iuxta quam hoc marmor cæditur». Fuit candidum, sed maculis purpureis distinctum; cf. Stat. Silv. I. 5, 37—38: «Purpura sola, cavo Phrygiæ quam Synnados antro Ipse cruentavit maculis lucentibus Attis»; Strab. p. 577: Σύνναδα δ' ἐστὶν οὐ μεγάλη πόλις . . . ἐπέκεινα δ' ἐστὶ Δοκιμία κώμη καὶ τὸ λατόμιον Συνναδικοῦ λίθου . . . κίονες ἐξαιροῦνται μονόλιθοι μεγάλοι, πλησιάζοντες τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. — *Tænare*, marmor nigrum in Tænaro, monte Laconiæ, cæsum; cf. Plin. N. H. XXXVI. 135: «Sunt et nigri (lapides), quorum auctoritas venit in marmora, sicut Tænarius». — *Caryste*, marmor apud Carystum, oppidum Eubœæ insulæ, cæsum; erat viride et venis in modum fluctuum distinctum; cf. Stat. Silv. II. 2, 93: «Hic Nomadum lucent flaventia saxa Thasosque Et Chios et gaudens fluctus æquare Carystos». — *nemora in domibus*, horti in peristylio; cf. Hor. Carm. III. 10, 5—6: «nemus Inter pulchra satum tecta» et Ep. I. 10, 22: «Nempe inter varias nutritur silva columnas». — *sacros imitantia lucos*, magnitudine arborum; nam in lucis sacris erant plerumque arbores veteres et magnæ. Poeta ante oculos habuit Prop. I. 14, 5—6. de horto Tulli: «Et nemus omne satas ut tendat vertice silvas, Urgetur quantis Caucasus arboribus». — *Auratæque trabes*, intellege tecta laqueata conclavium trabibus auratis ornata; poeta imitatur Prop. III. 2, 10: «camera auratas inter eburna trabes»; cf. Hor.

Carm. II. 18, 1—2: «Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar»; Stat. Silv. I. 3, 35—37: «Auratasne trabes an Mauros undique postes An picturata lucentia marmora vena Mirer?» — *marmoreumque solum,* pavimentum ex marmore factum. Totum Lygdami locum (vss. 13—16.) imitatur Anthol. Lat. Burmann. III. ep. 70. T. I. p. 511: «Quod tua mille domus solidas habet alta columnas, Quod tua marmoreo ianua poste nitet, Aurea quod summo splendent laquearia tecto, Imum crusta tegit quod pretiosa solum».

V. 17—22. *Erythræo legitur quæ litore concha,* margarita, quæ legitur in mari Rubro sive Erythræo, in parte Oceani Indici inter Arabiam et Indiam sita; cf. Tib. II, 4, 30: «e rubro lucida concha mari» et IV. 2, 19—20: «Et quæcumque niger rubro de litore gemmas Proximus eois colligit Indus aquis»; Prop. I. 14, 12: «Et legitur rubris gemma sub æquoribus» et III. 13, 6: «Et venit e rubro concha Erythræa salo». — *Tinctaque Sidonio murice lana,* purpura Phœnicia; cf. Tib. II. 4, 28: «Et niveam Tyrico murice tingit ovem». — *Sidonio,* ex urbe Phœnices; secunda syllaba correpta, ut Verg. Aen. IV. 137: «Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo». — *Et quæ præterea populus miratur,* instrumenta luxuriæ, quæ vulgus miratur, sapiens contemnit; cf. Ov. Am. I. 15, 35: «Vilia miretur vulgus». — *in illis Invidia est,* invidiam hominum excitat. — *falso,* errore deceptus. — *mentes hominum curæque levantur,* i. e. mentes curis levantur; zeugma, ut Ov. Met. X. 360: «curasque et corpora somnus Solverat». Ad sententiam cf. Hor. Carm. II. 16, 9—12: «Non enim gazæ neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis et curas laqueata circum Tecta volantes» et Ep. I. 2, 47—49: «Non domus et fun-

dus, non æris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres, Non animo curas». — *Nam fortuna sua tempora lege regit,* fortuna ne divitibus quidem parcit, immo sæpe eos maxime humiliat. — *tempora,* condiciones hominum, res humanas.

V. 23—26. *At sine te regum munera nulla volo,* dona regalia; poeta ante oculos habuit Prop. I. 14, 23—24: «Quæ (sc. Venus) mihi dum placata aderit, non ulla verebor Regna vel Alcinoi munera despicere» i. e. dona ab Alcinoo, rege Phæacum, Ulixi data. — *niveam . . . lucem,* diem candidum i. e. felicem; insolenter, ut infra VI. 8. de equis splendidis Solis: «Fulserit hic *niveis* Delius alitibus», ubi vide adn. Cf. Catull. 8, 3: «Fulsere quondam candidi tibi soles». — *felicem terque quaterque,* solita locutio; cf. Verg. Aen. I. 94: «o terque quaterque beati».

V. 27—32. *pro dulci reditu,* intellege reditum Neæræ in domum mariti Lygdami. — *non meus,* mihi non propitius, ut Hor. Epod. 9, 30: «Ventis iturus non suis». Contra *meus* est propitius, ut Ov. Her. 12, 84: «Sed mihi tam faciles unde meosque deos?» — *Nec me regna iuvant,* poeta ante oculos habuit Prop. I. 14, 23—24: «Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor Regna . . . despicere» et I. 8, 32. (de Cynthia): «sine me dulcia regna negat». — *nec Lydius aurifer amnis,* Pactolus, amnis Lydiæ, in cuius harena aurum erat; cf. Strab. XIII. p. 625: ῥεῖ δὲ ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου, καταφέρων τὸ παλαιὸν ψῆγμα χρυσοῦ πολύ, ἀφ' οὗ τὸν Κροίσου λεγόμενον πλοῦτον καὶ τῶν προγόνων αὐτοῦ διονομασθῆναί φασι· νῦν δὲ ἐκλέλοιπε τὸ ψῆγμα. Poeta respexit Prop. I. 14, 9—11: «Nam sive optatam mecum trahit illa quietem, Seu facili totum ducit amore diem, Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores» et

III. 18, 28: «Pactoli quas parit umor opes». — *Nec quas terrarum sustinet orbis opes,* ad sententiam cf. Corn. Nep. Epam. 4, 2: «namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ caritate». — *sustinet,* quasi tergo portans. ut Plaut. Pœn. prol. 90: «homini . . . quantum hominum terra sustinet sacerrumo». Cf. etiam Tib. II. 4, 56: «Quidquid et herbarum Thessala terra gerit». — *paupere cultu,* modesta vitæ ratione, parvo contentus. Eadem verba in fine hexametri Tib. I. 10, 19.

V. 33—38. *timidis . . . votis,* timens vota facit, quia vix sperare audet felicem eventum. — *Saturnia,* Iuno, Saturni filia, matrimonii custos, cuius ope gratiam uxoris Neæræ sibi reconciliare vult. — *faveas concha, Cypria vecta tua,* invocat etiam Venerem, amoris deam, ut Cypro relicta huc adsit sibique præsentem opem ferat; cf. Hor. Carm. I. 19, 9—10: «In me tota ruens Venus Cyprum deseruit» et Carm. I. 30, 1—4: «O Venus, regina Cnidi Paphique, Sperne dilectam Cypron et vocantis Ture te multo Glyceræ decoram Transfer in ædem». — *concha . . . vecta tua,* Venus in picturis antiquis sæpe conspicitur in concha navigans; cf. Paul. Fest. s. v. *Cytherea* (p. 36. ed. Thewrewk): «Cytherea Venus ab urbe Cythera, in quam primum devecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta». Aliter Hor. Carm. IV. 1, 9—11. de Venere: «Tempestivius in domum Pauli purpureis ales oloribus Comissabere Maximi». — *Cypria,* Venus, quæ in Cypro præcipue colebatur. — *reditum,* sc. Neæræ in domum mariti Lygdami. — *tristesque sorores,* Parcæ. — *Stamina quæ ducunt,* inter nendum; cf. Tib. I. 3, 86: «Deducat plena stamina longa colu». — *futura neunt,* nendo constituunt, ut Martial. I. 98: «Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos». Cf. Verg. Ecl. 4, 47: »Concordes stabili

fatorum *nemine* Parcæ», de quo loco vide infra Addend. I.— *neunt,* forma vulgaris pro: nent, ad analogiam verbi *eunt*; occurrit in Itala (in versione Latina Evangeliorum): Matth. 6, 28. et Luc. 12, 27. Plura exempla congessit *Lœwe* in Prodromo Glossar. Lat. p. 409. — *Me vocet,* dicitur de morte et fato, ut Ov. Her. 6, 28: «Vivit an — exclamo — me quoque fata vocant?» — *in vastos amnes nigramque paludem Ditis,* fluvii inferni mortuis enavigandi, ut supra I. 28: «pallida Ditis aqua»; Lygdamum imitatur incertus auctor Culicis vss. 372—374: «ego Ditis opacos Cogor adire lacus viduos, a, lumine Phœbi Et vastum Phlegethonta pati». — *vastos amnes,* vasta profunditate; cf. Lucret. I. 115: «An tenebras Orci visat vastasque lacunas?» et Verg. Aen. VI. 295. de Acheronte: «Turbidus hic cæno vastaque voragine gurges Aestuat». — *in ignava . . . Orcus aqua,* Orcus ad ignavam aquam situs; Orcus autem hoc loco non regem inferorum, sed locum significat. Lygdamus imitatur Propertium, qui *in* cum ablativo iunctum ponit interdum pro *ad,* ut e. gr. I. 3, 5—6: «assiduis Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit Apidano» i. e. ad Apidanum, in ripa fluvii; III. 18, 8: «Quis deus in vestra constitit hostis aqua?» i. e. ad aquam, in ripa aquæ; III. 18, 10: «Errat et in vestro spiritus ille lacu» i. e. ad lacum. Cf. etiam adn. infra ad VI. 40: «ignoto mari». — *ignava . . . aqua,* quia fluvii inferorum tarde fluunt, unde Hor. Carm. II. 14, 17—18: «ater flumine languido Cocytos errans»; Lygdamum imitatur Senec. Herc. Fur. 690: «Palus inertis fœda, Cocyti iacet». — *luridus Orcus,* omnia apud inferos pallent; cf. supra adn. ad I. 28: «pallida Ditis aqua». Lygdamus imitatur Hor. Carm. III. 4, 73—75: «Iniecta monstris Terra dolet suis Mæretque partus ful-

mine luridum Missos ad Orcum»; cf. Verg. Ge. I. 277: «pallidus Orcus».

IV.

Argumentum. Poeta detestatur somnium hesterna nocte visum et, quamquam somniis fidem habendam esse negat, precatur Iunonem Lucinam matrimonii custodem, ut visa nocturna divortium cum uxore Neæra faciendum portendentia averruncet (1—16.). Narrat deinde somnium ipsum. Apollo enim apparuit ei, cuius formam et habitum describit (17—42.). Sequuntur verba dei ad eum: abalienatum ab eo esse animum Neæræ, sed flecti posse precibus blandis (43—80.). In fine crudelitatem Neæræ se credere negat: non enim immanibus monstris natam esse puellam, sed esse filiam parentum mitissimorum (81—94.). Quare iterum deos orat, ut somnia in melius vertant (95—96.).

V. 1—4. *Di meliora ferant,* formula ad mala averruncanda, ut Ter. Phorm. 1005: «di melius duint»; Ov. Met. VII. 37: «Di meliora velint»; Cic. De sen. 47: «di meliora»; Ov. A. A. II. 388: «Di melius». — *quies,* somnus. — *vani,* fallaces; referendum ad *somnia* vs. 1. Poeta masculino adiectivi genere utitur, quia cogitat de somniis personificatis, qui filii Somni esse credebantur. Cf. Ov. Met. XI. 633. sqq.: «At pater (sc. Somnus) e populo natorum mille suorum Excitat artificem simulatoremque figuræ *Morphea:* non illo iussos sollertius alter Exprimit incessus vultumque sonumque loquendi; Adicit et vestes et consuetissima cuique Verba. Sed hic solos homines imitatur; at alter Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens. Hunc *Icelon* superi, mortale *Phobetora* vulgus

Nominat. Est etiam diversæ tertius artis: *Phantasos.*» — *Desinite in nobis quærere velle fidem,* nolite postulare, ut ego vobis fidem habeam; cf. Ov. A. A. I. 611—612: «Est tibi agendus amans imitandaque vulnera verbis: Hæc tibi quæratur qualibet arte fides». — *nobis,* ex coniectura Guyeti; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 5—10. *Divi vera monent,* oraculis; cf. infra vs. 77: «Quod si vera canunt sacris oracula templis». — *venturae nuntia sortis . . . exta,* poeta ante oculos habuit Tib. II. 1, 25—26: «viden ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra deos». — *Tuscis . . . viris,* haruspicibus, quorum patria erat Etruria. — *probata,* examinata, ut Tib. I. 6, 25: «velut gemmas eius signumque probarem». — *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte Et pavidas mentes falsa timere iubent,* cf. Lucret. V. 62: «simulacra solere in somnis fallere mentem». — *temeraria,* pro adverbio: temere, sine certo consilio. — *natum in curas.* angoribus obnoxium, natura sollicitum, quare etiam vana somnia metuit. Cf. Hom. Il. XIII. 569: ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι et XXII. 31: δειλοῖσι βροτοῖσι; Verg. Ge. I. 237: «mortalibus ægris» et III. 66: «miseris mortalibus». — *omina noctis,* noctu in somno missa; cf. Prop. IV. 4, 23: «Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ» i. e. noctis. — *Farre pio placant et saliente sale,* mola salsa in ignem foci coniecta. Poeta ante oculos habuit Tib. I. 5, 13—14: «Ipse procuravi, ne possent sæva nocere Somnia, ter sancta deveneranda mola»; præterea imitatur Hor. Carm. III. 23, 18—20: «Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos Penates. Farre pio et saliente mica». Cf. Verg. Aen. V. 744—745., ubi Aeneas, postquam somnium vidit: «Pergameumque Larem et canæ penetralia Vestæ Farre pio et plena supplex veneratur acerra». — *Farre pio,*

honori deorum destinato. — *placant*, subiectum est *hominum genus* vs. 9. Constructio ad intellectum. — *saliente sale*, quia micæ salis in ignem coniectæ salire videntur.

V. 11—16. *utcumque est*, quocumque modo res se habet. — *illi*, sc. homines. — *vera moneri*, sc. somniis. — *mendaci somno*, somnio, ut Ov. Rem. 555—556: «dubito, verusne Cupido An somnus fuerit, sed, puto, somnus erat» i. e. somnium. Similiter *sopor* pro somnio Verg. Aen. III. 175—176: «Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus Velatasque comas præsentiaque ora videbar». — *solent*, ex coniectura Postgatii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Efficiat vanos noctis Lucina timores*, Lygdamum imitatur Senec. Thyest. 812: «Demet nocti luna timores». — *vanos*, irritos. — *noctis . . . timores*, de somniis terrificis, ut Prop. I. 3, 28: «Ne qua tibi insolitos portarent visa timores»; cf. Soph. Elect. 410: δεῖμα νύκτερον. — *Lucina*, Iuno Lucina, matrimonii custos, cui matronæ die Matronalium sacrificabant (cf. supra introductionem ad I.), quam etiam supra III. 33. invocavit poeta: «Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis», ut Neæram sibi redderet. Eam igitur hoc loco rogat, ut averruncet somnia divortium (cf. infra vss. 57—58.) cum uxore faciendum portendentia. Cf. Senec. Med. 1—2: «genialis tori Lucina custos». — *immeritum*, innocentem. — *pertimuisse*, absolute positum, ut Tac. Ann. I. 29: «ubi pertimuerint, impune contemni». — *nec turpi mens est obnoxia facto*, nulli culpæ serviens, nulli vitio subiectus; cf. Sallust. Catil. 52, 21: «animus in consolundo liber neque delicto neque lubidini obnoxius». — *Nec læsit magnos impia lingua deos*, ut infra V. 13—14: «Nec nos insanæ meditantes iurgia mentis Impia in adversos solvimus ora deos»; poeta respexit Tib. I. 2, 79—80: «Num Veneris magnæ violavi numina verbo Et mea

nunc poenas impia lingua luit» et Tib. I. 3, 51—52: «non me periuria terrent, Non dicta in sanctos impia verba deos».

V. 17—22. *Iam Nox* etc., currum Nocti tribuit poeta, ut Tib. II. 1, 87: «Iam Nox iungit equos». — *ætherium... mundum,* cælum, ubi æther est; Lygdamum imitantur ignotus auctor Culicis 101—102: «Tendit inevectus radios Hyperionis ardor Lucidaque ætherio ponit discrimina mundo» et Senec. Phædr. 339—346: «quaque ætherio Candida mundo sidera currunt». — *quadrigis,* bigam Nocti tribuunt alii poetæ, ut Verg. Aen. IV. 721: «Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat». — *cæruleo laverat amne rotas,* poeta ante oculos habuit Verg. Ge. III. 359. de Sole: «Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum» et Tib. II. 5, 60: «Solis anhelantes abluit amnis equos». — *amnis,* Oceanus, quia orbem terrarum circumfluit; cf. Hom. Od. XI. 639: 'Ωκεανὸν ποταμόν; Verg. Ge. IV. 233: «Oceani amnis». — *menti deus utilis ægræ,* Somnus, quia curas adimit; cf. Verg. Aen. II. 268—269: «Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit et dono divum gratissima serpit» et Georg. III. 530: «nec somnos abrumpit cura salubres»; Ov. Pont. I. 2, 43—44: «requies medicinaque publica curæ Somnus». — *Somnus sollicitas deficit ante domos,* Somnus quasi defetiscitur neque domos hominum sollicitorum intrare potest. — *deficit,* absolute positum: deficiunt eum vires, defetiscitur, ut Tib. IV. 3, 6: «deficiantque canes». — *cum summa Phœbus prospexit ab Oeta,* cum sol oriens iam summos montes tetigit, ut Senec. Troad. 177—178: «summa iam Titan iuga Stringebat ortu». Oetam, montem Thessaliæ, sæpe commemorant poetæ Romani exemplo Græcorum, ubi agitur de ortu Hesperi aut solis. Lygdamum imitatur

Senec. Herc. Fur. 132—133: «Iam cæruleis evectus aquis Titan summa prospicit Oeta» et Herc. Oet. 865—866: «renatum prima quæ poscit diem Oeta». Cf. Catull. 62, 7: «Nimirum Oetæos ostendit Noctifer ignes»; Verg. Ecl. 8, 30: «deserit Hesperus Oetam»; Ciris 349—350: «Postera lux ubi læta diem mortalibus almum Et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta»; Culicis 203: «Et piger aurata procedit Vesper ab Oeta». — *summa . . . Oeta,* ex coniectura Marklandii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Pressit . . . lumina,* clausit oculos.

V. 23—28. *Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro,* Apollo; poeta ante oculos habuit Tib. II. 5, 5. de Apolline: «triumphali devinctus tempora lauro». — *casta . . . lauro,* quia Daphne, puella casta, amplexum Phœbi fugiens in arborem lauri mutata est; cf. Ov. Met. I. 452. sqq. et præcipue 557—559. (verba Phœbi ad Daphnen): «At coniunx quoniam mea non potes esse, Arbor eris certe — dixit — mea: semper habebunt Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ». — *nostra ponere sede pedem,* intrare domum meam; cf. Paneg. in Mess. 13: «Molorcheis posuit vestigia tectis», Prop. II. 19, 45: «Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto». — *Non illo quicquam formosius ulla priorum Aetas, heroum nec tulit ulla domus,* heroica enim ætate vivebant homines pulcherrimi; Lygdamus ante oculos habuit Prop. I. 4, 5—8: «Tu licet Antiopæ formam Nycteidos et tu Spartanæ referas laudibus Hermionæ, Et quascumque *tulit* formosi temporis ætas: Cynthia non illas nomen habere sinat». — *priorum,* maiorum, veterum; cf. Verg. Ge. III. 292—293: «qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo». — *heroum . . . tulit ulla domus,* ex coniectura Lachmanni; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *heroum . . . domus,* gens. —

tulit, genuit, ut Prop. II. 28, 53. de heroinis pulchris: «Et quot Troia tulit, vetus et quot Achaia formas» et ibid. I. 4, 7: «Et quascumque tulit formosi temporis ætas».— *Intonsi crines,* ut Apollinem decet; cf. Tib. IV. 4, 2: «intonsa Phœbe superbe coma». — *longa cervice,* ad pulchritudinem pertinet; nam cervix brevis et crassa est turpis. — *fluebant,* fluctuabant. — *Stillabat Syrio myrrhea rore coma,* poeta ante oculos habuit duos Tibulli locos de Genio, I. 7, 51: «Illius et nitido stillent unguenta capillo» et II. 2, 7: «Illius puro destillent tempora nardo». Cf. Callim. hymn. II. 38. de Apolline: Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια et Prop. III. 17, 31. de Baccho: «Levis odorato cervix manabit olivo». — *Syrio . . . rore,* unguento; nam odores et unguenta ex Syria potissimum Romam advehebantur; cf. adn. supra ad II. 24: «pinguis et Assyria». *Rore,* Lygdamus posuit primum pro unguento, sed ante oculos habuit Hor. Carm. III. 4, 61—62. de Apolline: «Qui rore puro Castaliæ lavit Crines solutos»; Lygdamum imitatus est Ov. Her. 15, 76: «Non Arabum noster rore capillus olet», Ovidium Val. Flac. VI. 709: «rore Sabæo». — *myrrhea . . . coma,* fulva, aurea; est enim Apollo *flavus,* ut apud Ov. Am. I. 15, 35., aut χρυσοκόμης, ut Pind. Ol. 6, 41; 7, 32; Aristoph. Av. 219; Eur. Suppl. 1000. Lygdamus imitatur Hor. Carm. III. 14, 22: «Murreum nodo cohibere crinem» i. e. flavum. Color enim myrrhæ, resinæ odoratæ, est fulvus; cf. Ov. Met. XV. 399: «Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha»; Prop. III. 10, 22: «murreus onyx», quem locum illustrat Plin. N. H. XXXVI. 61. de colore onychis, lapidis pretiosi: «probantur quam maxime *mellei* coloris» i. e. fulvi, aurei. Adde Plin. N. H. XII. 70. de myrrha: «in plenum em autprobatio est minutis glebis nec rotundis, in concretu

albicantis suci et *tabescentis*», ubi pro *tabescentis*, quod sensu caret, scribendum censeo *flavescentis*, ut elucet ex codice Plinii Parisino 6797., ubi legitur *a vescenti*, ante *a* signo lacunæ apposito. Quare corruptus esse videtur etiam Porphyr. ad Hor. Carm. III. 14, 22: «Colorem murreum in crinibus hodieque dicunt, qui medius est inter flavum et *nigrum*», ubi scribendum censeo: «inter flavum et *rubrum*». — *myrrhea*, ex coniectura Cyllenii; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 29—34. *Candor erat, qualem præfert Latonia Luna*, significat splendorem corporis; Lygdamus ante oculos habuit Horm. Carm. II. 5, 18—20: «Chloris albo sic umero nitens, Ut pura nocturno renidet Luna mari»; cf. Hom. hymn. in Ven. 89: ὡς δὲ σελήνη Στήθεσιν ἀμφ' ἁπαλοῖσιν ἐλάμπετο; Theocr. II. 79: Στήθεα δὲ στίλβοντα πολὺ πλέον ἢ τὺ Σελάνα. — *præfert*, præ se feit, ostendit, ut Verg. Aen. X. 211: «Frons hominem præfert». — *Latonia Luna*, Latonæ filia, quæ in cælo Luna, in terra Diana, apud inferos Hecate nominatur; cf. Catull. 34, 5—6. ad Dianam: «O Latonia, maximi Magna progenies Iovis». — *Et color in niveo corpore purpureus*, sc. color faciei; cf. Prop. II. 3, 9—12: «Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit: Lilia non domina sunt magis alba mea, Ut Mæotica nix minio si certet Hibero, Utque rosæ puro lacte natant folia». — *Ut iuveni primum virgo deducta marito Inficitur teneras ore rubente genas*, locum imitatur Ov. Am. II. 5, 33—36: «at illi Conscia purpureus venit in ora pudor, Quale coloratum Tithoni coniuge cælum Subrubet aut sponso visa puella novo». — *iuveni primum . . . deducta marito*, versum imitatur Ov. Fast. IV. 153: «Cum primum cupido Venus est deducta marito»; cf. Catull. 61, 143—144: «Nec tamen illa mihi

dextra deducta paterna Fragrantem Assyrio venit odore domum». — *deducta,* proprie dicitur de nova nupta e domo parentum in domum mariti ducta. Hoc enim significat *deductio*; cf. Pomp. Digest. 23, 2, 5. — *Inficitur,* coloratur, pingitur; cf. Ov. Am. I. 14, 52: «ingenuas picta rubore genas». — *ore rubente,* erubescente; abl. abs. — *contexunt amarantis alba puellæ Lilia,* cf. Verg. Aen. XII. 68—69: «mixta rubent ut lilia multa Alba rosa: tales virgo dabat ore colores»; Ov. Am. II. 5, 37: «Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ»; Prop. III. 13, 29—30: «Nunc mixta referre Lilia virgineos lucida per calathos». — *amarantis,* amarantus est flos ruber, qui hodie a viris doctis *Celosia cristata L.* vocatur; cf. Plin. N. H. XXI. 47. de amaranto: «Est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis et ipse sine odore». — *autumno candida mala rubent,* cum mala maturescere incipiunt; Lygdamum imitatur Ov. Met. III. 482—484: «Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem Non aliter, quam poma solent, quæ candida parte, Parte rubent». Eandem similitudinem etiam in poesi Græca tritam fuisse docet Longus Pastor. I. p. 22. ed. Schæf.: ὁ δὲ (εἴκασεν) μήλῳ τὸ πρόσωπον αὐτῆς, ὅτι λευκὸν καὶ ἐνερευθὲς ἦν.

V. 35—38. *Ima videbatur talis inludere palla,* intellegenda est palla longa, qualis decet citharœdum; cf. Ov. Met. XI. 166. de Apolline citharœdo: «Verrit humum Tyrio saturata murice palla». — *talis inludere,* eleganter dictum de veste longa pedes feriente; cf. de Baccho Tib. I. 7, 46: «Fusa sed ad teneros lutea palla pedes» et Prop. III. 17, 32: «Et feries nudos veste fluente pedes». Lygdamum imitatur incertus auctor Ciris (vs. 144.): «Suspensam gaudens in corpore ludere vestem». — *in nitido corpore,* ad splendorem corporis divini referendum; cf.

supra vs. 29: «Candor erat, qualem præfert Latonia Luna». — *fulgens testudine et auro Pendebat læva garrula parte lyra,* ornabatur lyra testudine, auro, ebore et gemmis; cf. Tib. IV. 2, 22: «Et testudinea Phœbe superbe lyra» et Ov. Met. XI. 167—168. de Apolline citharœdo: «Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis Sustinet a læva»; Apul. Florid. I. p. 342. de Apolline: «quid quod lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegatur». — *læva . . . parte,* lævo humero suspensa ex more. — *garrula . . . lyra,* ut Tib. II. 5, 30. de fistula Panis: «Garrula silvestri fistula sacra deo».

V. 39—42. *Hanc primum* etc., deus, priusquam poetam alloquatur, præludit lyra, ut audientiam sibi faciat, sicut Ov. A. A. II. 493. sqq.: «subito manifestus Apollo Movit inauratæ pollice fila lyræ . . . Is mihi . . . dixit». etc. — *Hanc . . . modulatus,* vulgo dicitur: carmen sive cantum modulari; sed verbum transfertur etiam ad instrumentum musicum: lyram modulari i. e. ita pulsare, ut certos modos reddat; Lygdamus respicere videtur Hor. Carm. I. 32, 4—5: «Barbite . . . Lesbio primum modulate civi». — *primum,* iunge cum *modulatus.* — *Felices cantus,* carmen hilare, cui opponuntur infra vs. 42: «tristia verba»; cf. Catull. 64, 382—383: «Talia præfantes quondam felicia Pelei Carmina divino cecinerunt pectore Parcæ». — *digiti . . . locuti,* chordas igitur nunc plectro (vs. 39.), nunc digitis pulsavit, ut Orpheus Verg. Aen. VI. 646—647: «Obloquitur numeris septem discrimina vocum Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno». — *cum voce,* vocem oris intellege; cf. supra vs. 41: «cantus ore sonante dedit». — *dulci . . . modo,* sono. Sonus dei iucundus erat, sed verba edidit tristia.

V. 43—46. *cura deum,* ut Ov. A. A. III. 405: «Cura

deum fuerunt olim regumque poetæ» et Am. III. 9, 17: «At sacri vates et divum cura vocamur»; cf. Tib. II. 5. 113: «At tu, nam divum servat tutela poetas, Præmoneo, vati parce, puella, sacro». — *casto . . . poetæ,* puro animo; cf. Catull. 16, 5—6: «Nam castum decet esse pium poetam» et Ov. Am. III. 8, 23: «Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos». — *rite,* merito; iunge cum *favent* vs. 44. Cf. Hor. Ep. II. 2, 77—78: «Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem, Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra»; Ov. Fast. V. 595—596. de Marte Ultore: «*Rite* deo templumque datum nomenque bis ulto Et *meritus* voti debita solvit honor». — *Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent,* præter Phœbum et Musas etiam Bacchus tuetur poetas; cf. Hor. Ep. I. 19, 4: «Ascripsit Liber Satyris Faunisque poetas»; Prop. III. 3, 7: «nobis et Baccho et Apolline dextro»; Ov. Am. I. 3, 11. de se: «At Phœbus comitesque novem vitisque repertor Hinc faciunt». — *Pieridesque favent,* eadem verba in fine pentametri Ov. A. A. III. 548. de poetis: «Numen inest illis Pieridesque favent». — *Pierides,* cf. adn. supra ad I. 5: «Pierides». — *proles Semeles Bacchus,* Iovis et Semeles, filiæ Cadmi, regis Thebani; cf. Hor. Carm. I. 17, 22—23: «Semeleius . . . Thyoneus» et Ov. Met. III. 520: «proles Semeleia Liber». — *doctæque sorores,* Musæ, ut Ov. Met. V. 255. — *dicere non norunt,* verbam *novi* cum infinitivo, ut Verg. Aen. VIII. 318: «Nec componere opes norant». — *hora sequens,* futura.

V. 47—50. *ævique futuri Eventura . . . videre,* ut Tib. II. 5, 11. de Apolline: «Tu procul eventura vides». — *posse videre dedit,* ut Tib. I. 8, 56: «Ipse deus cupidis fallere posse dedit». — *non fallax . . . vates,* appositio, referenda ad *ego.* — *vero . . . ore,* veridico; cf. Prop. II.

21, 3: «Sed tibi iam videor Dodona verior augur». — *Cynthius*, a Cyntho, monte Deli, ubi nati sunt Apollo et Diana. — *feram*, futurum: nuntiabo.

V. 51—56. *quantum nec . . . Quantum nec*, utrobique *nec* pro *ne-quidem* ponitur: quantum ne filia quidem matri, quantum ne bella quidem puella cupido viro; cf. Tib. I. 8, 58: «ut nec dent oscula rapta sonum» i. e. ut ne oscula quidem sonum dent. — *nec cupido bella puella viro*, amatori, ut Ov. Am. II. 5, 25—26: «(oscula), Qualia non fratri tulerit germana severo, Sed tulerit cupido mollis amica viro». Cf. Catull. 72, 3—4: «Dilexi tum te non tantum, ut vulgus amicam, Sed pater ut gnatos diligit et generos». — *sollicitas cælestia numina votis*, cf. supra III. 1: «Quid prodest cælum votis implesse, Neæra». — *fusco Somnus velavit amictu*, quia Somnus oculos claudit et tenebris obtegit. *Fuscus amictus* igitur hoc loco tenebras significat, ut Sil. It. XII. 613: «terras cæco nox condit amictu»; cf. Verg. Aen. I. 412: «Et multo nebulæ circum dea fudit amictu». Alibi Somnus alis suis tegit dormientes; cf. Callim. hymn. Del. 239: ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν Ὕπνος ἐρείσῃ; Prop. I. 3, 45: «Dum me iucundis lapsam Sopor impulit alis». — *fusco . . . amictu*, nigras alas habet Somnus apud Tib. II. 1, 89—90: «Postque venit tacitus furvis circumdatus alis Somnus». — *Somnus velavit*, apud Hom. Il. XIV. 359. dicit Ὕπνος de Iove a se sopito: αὐτῷ μαλακὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυψα. — *velavit amictu*, eadem verba in fine hexametri Catull. 64, 266: «Pulvinar complexa suo velabat amictu» et Ciris vs. 250: «mollique ut se velavit amictu». — *Vanum nocturnis fallit imaginibus*, Neæra in somniis poetæ apparet, ut Ligurinus Horatio Carm. IV. 1, 37—39: «Nocturnis ego somniis Iam captum teneo, iam volucrem sequor Te».—

Vanum, deceptum, falsis visis credentem; cf. Verg. Aen. X. 630—631: «aut ego veri Vana feror»; Sil. It. XII. 261: «voti vanus». Est igitur *vanum . . . fallit* cumulate dictum, ut Ov. Ex Pont. II. 9, 29: «Vana laborantis si fallit vota coloni».

V. 57—62. *Carminibus celebrata tuis formosa Neæra*, cuius pulchritudinem versibus laudasti; cf. supra I. 7—8: «Carmine formosæ. pretio capiuntur avaræ: Gaudeat, ut digna est, versibus illa tuis». — *Diversasque . . . tuis curas*, a tuis curis diversas; cf. infra vs. 83: «Nec tibi crediderim votis (sc. meis) contraria vota». Contrarium est supra I. 19: «si nostri mutua cura est». — *tuis*, simplex ablativus cum *diversus* iunctus, ut Plin. Paneg. 65, 3: «quam diversum consuetudine illorum». Ceterum *tuis* est coniectura Lipsii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *agitat . . . curas*, habet, alit, versat curas, ut dicitur: rem aliquam agitare in animo. — *Nec gaudet . . . nupta*, nec nec gaudet se nuptam esse in casta domo; *gaudeo* cum participio iunctum, ut Verg. Ge. II. 510: «gaudent perfusi sanguine fratrum« i. e. gaudent se perfusos esse. — *casta nupta Neæra domo*, in casta domo, ut Prop. II. 3, 54: «Mox Amythaonia nupta futura domo». — *casta . . . domo*, honesta. — *crudele genus*, sc. femina. — *nec fidum . . . nomen*, infida gens; *nomen* enim sæpe gentem, genus, populum significat, ut: nomen Romanum, Latinum etc.; cf. Ov. Met. I. 201: «Romanum exstinguere nomen» et Trist. II. 221. de Augusto: «Non ea te moles Romani nominis urget».

V. 63—68. *illis*, sc. feminis. — *Tu modo cum multa bracchia tende fide*, cf. Prop. II. 17, 18. de Cynthia: «Tum flebit, cum in me senserit esse fidem». — *bracchia tende*, ut supplices solent; cf. Verg. Aen. III. 592: «sup-

plexque manus ad litora tendit». — *Sævus Amor docuit validos temptare labores,* poeta ante oculos habuit Tibulli locos, ubi ille amantem pro puella gravissimos labores suscepturum esse dicit; cf. Tib. I. 4, 47: «Nec te pæniteat duros subiisse labores» et II. 3, 5—6: «O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic Versarem *valido* pingue bidente solum», unde Lygdamus epitheton *validos* sumpsit et insolenter iunxit cum *labores.* — *Sævus Amor docuit,* eadem verba initio hexametri Verg. Ecl. 8, 47. — *verbera posse pati,* dixit enim Tibullus se pro domina paratum esse servilia supplicia tolerare; cf. Tib. I. 6, 37—38: «At mihi servandam credas (sc. dominam): non sæva recuso Verbera» et II. 3, 79—80: «ad imperium dominæ sulcabimus agros: Non ego me vinclis verberibusque nego». — *Me quondam Admeti,* poeta ante oculos habuit Tib. II. 3, 11. sqq., ubi agitur de Apolline, qui Admeti amore captus servitium subiit. — *Admeti niveas pavisse iuvencas,* ut Ov. A. A. II. 239—240: «Cynthius Admeti *vaccas* pavisse Pheræi Fertur»; aliter Tib. II. 3, 11: «Pavit et Admeti *tauros* formosus Apollo». — *in vanum fabula ficta iocum,* quia ridebatur a plerisque isto tempore deus propter amorem serviens; poeta respexit Tib. II. 3, 31—32: «Fabula nunc ille est (sc. Apollo): sed cui sua cura puella est, Fabula sit mavult quam sine amore deus».

V. 69—72. *cithara . . . sonora,* opponitur tenui sono *avenæ* (vs. 71.); cf. Tib. II. 3, 12. de Apolline Admeto serviente: «Nec citharæ intonsæ profueruntve comæ». — *Nec similes chordis reddere voce sonos,* canere ad citharam apte. — *voce,* sc. voce oris, ut supra vs. 41: «Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti». — *perlucenti . . . avena,* i. e. ita tenui, ut lucem transmittat; poeta ex-

aggerat, quod Verg. Ecl. 1, 2. dixit: «Silvestrem *tenui* Musam meditaris avena». Cf. etiam Ov. Met. II. 681—682. de Apolline pastore: «onusque fuit baculum silvestre sinistræ, Alterius dispar septenis fistula cannis». — *cantum meditabar avena,* poeta imitatur Verg. Ecl. 1, 2. supra laud.

V. 73—76. *coniugiumque ferum,* coniugem, uxorem feram, crudelem. *Coniugium* enim interdum coniugem, i. e. maritum aut uxorem significat; cf. Verg. Aen. II. 579. de Helena Spartam reditura: «Coniugiumque domumque patres natosque videbit» et Aen. III. 296. de Heleno, qui viduam Pyrrhi duxit uxorem: «Coniugio Aeacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum». — *Ergo ne dubita blandas adhibere querelas,* poeta respexit Tib. I. 4, 71—72: «Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis Supplicibus, miseris fletibus illa favet». — *Vincuntur molli pectora dura prece,* antithesis, ut supra vs. 42: «Edidit hæc dulci tristia verba modo».

V. 77—82. *si vera canunt sacris oracula templis,* si vera sunt oracula in templis meis edita, i. e. si veridicus augur sum. — *vera canunt,* vaticinantur; cf. Tib. II. 5, 63. (Sibylla de se): «Vera cano». Erant enim vaticinia versibus comprehensa; cf. Tib. II. 5, 16. de Sibylla: «Abdita quæ senis fata canit pedibus». — *Delius,* Apollo Deli natus, ut infra VI. 8. — *Felix hoc,* sc. coniugio; cf. Ov. Ex Pont. IV. 11, 22: «Coniugio felix iam potes esse novo» et Met. IX. 333: «habetur coniuge felix». — *ignavus,* aptissimum epitheton somni; cf. Ov. Met. XI. 593: «ignavi domus et penetralia Somni». — *defluxit,* abiit, excessit, evanuit; cf. Prop. I. 20, 2: «Id tibi ne vacuo defluat ex animo». — *A ego ne possim tanta videre mala,* poeta imitatur Tib. II. 4, 7: «O ego ne possim tales sentire dolores».

V. 83—88. *Nec tibi crediderim votis contraria vota,* supple: *esse,* ex *inesse* vs. 84. — *votis contraria vota,* ut supra vs. 59: «Diversasque tuis agitat mens impia curas». — *votis,* sc. meis; cf. supra vs. 53: «Pro qua sollicitas cælestia numina votis». — *pectore inesse tuo,* insolenter *inesse* cum simplici ablativo; usitatum est: inesse in aliqua re aut alicui rei. — *Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti,* hac locutione usus est ad crudelitatem designandam iam Hom. Il. XVI. 33—34: Νηλεές, οὐκ ἄρα σοίγε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς Οὐδὲ Θέτις μήτηρ γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα. — *Nec flammam volvens ore Chimæra fero,* monstrum, de quo Hesiod. Theog. 319. sqq.: Χίμαιραν . . . πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ . . . Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί· μία μὲν χαροποῖο λέοντος, Ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος, κρατεροῖο δράκοντος. Cf. Lucret. V. 905—906: «Chimæra Ore foras acrem flaret de corpore flammam». — *flammam volvens,* evomendo, ut Verg. Ge. I. 472: «Vidimus . . . Aetnam Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa» et ibid. III. 85: «Collectumque fremens volvit sub naribus ignem». — *Nec canis anguinea redimitus terga caterva,* Cerberus, de quo Hor. Carm. III. 11, 17—18: «quamvis furiale centum Muniant angues caput eius».— *anguinea redimitus terga caterva,* cf. Catull. 64, 193—194: «Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons».

V. 89—94. *Scyllaque virgineam* etc., vss. 89—91. poeta contaminavit Catull. 60, 1—3: «Num te leæna montibus Libystinis Aut Scylla latrans infima inguinum parte Tam mente dura procreavit ac tætra?» et Catull. 64, 154—156: «Quænam te genuit sola sub rupe leæna, Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis, Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vasta Charybdis?» — *virgineam canibus succincta figuram,* Scylla fuit virgo, cuius corpus in caudam

beluæ marinæ exiit, ex inguine autem latrantes canes eminuerunt. Poeta respexit Lucret. V. 892—893: «rabidis *canibus succinctas* semimarinis corporibus Scyllas» et Verg. Ecl. 6, 74—76: «Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida *succinctam* latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates». Lygdamum imitatur incertus auctor Culicis (vs. 331): «Scylla rapax *canibus succincta* Molossis». Cf. Senec. Med. 351—352: «Siculi virgo Pelori Rabidos utero succincta canes». — *conceptam sæva leæna tulit,* protulit, peperit; poeta imitatur Catull. 64, 155: «Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?» — *Scythiæ,* solitum apud antiquos barbariei exemplum. — *Syrtis,* ita nominantur duo sinus maris (Syrtis maior et minor) in Africa septentrionali, nautis periculosi propter æstus et vada; cf. Hor. Car. II. 6, 3—4: «barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda». — *Duris non habitanda,* ubi locus non est crudelibus. — *Et longe ante alias omnes mitissima mater,* nimia cumulatio; poeta imitatur Catull. 68, 159: «Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est». Cf. Verg. Aen. I. 347: «Pygmalio scelere ante alios immanior omnes». — *ante alias,* sc. matres.

V. 95—96. *Hæc deus in melius crudelia somnia vertat,* ut Mosch. I. 27: Ἀλλά μοι εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρήνειαν ὄνειρον. — *in melius . . . vertat,* ut Græce ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν. Cf. Prop. I. 17, 9: «Tu tamen in melius sævas converte querelas». — *Et iubeat tepidos irrita ferre notos,* proverbiali locutione dicuntur omnia, quæ ad irritum cadunt, ventis auferri; cf. infra VI. 27—28: «venti temeraria vota Aeriæ et nubes diripienda ferunt» et VI. 49—50: «periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet». Lygdamus ante oculos habuit Catull. 30,

9—10: «tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis» et Tib. I. 4, 21—22: «Veneris periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt» et Tib. I. 5, 35—36: «Hæc mihi fingebam, quæ nunc eurusque notusque Iactat odoratos vota per Armenios». Lygdamum et Tibullum imitatur Ov. Am. II. 8, 19—20: «Tu, dea, tu iubeas animi periuria puri Carpathium tepidos per mare ferre notos» et Am. I. 4, 11—12: «nec euris Da mea, nec tepidis verba ferenda notis».

V.

Argumentum. Poeta graviter ægrotans amicis, qui thermis Etruriæ salubribus utuntur, mortem sibi imminere scribit (1—6.). Orat igitur Proserpinam, ut parcat sibi nullius culpæ conscio (7—14.). Nolle enim se iuvenem immaturam obire mortem (15—20.). Precatur deinde omnes deos inferos, ut usque ad senectutem sibi vivere liceat (21—28.). In fine iterum amicos alloquitur rogans, ut pro salute ægroti sacrificium Plutoni voveant (29—34.).

V. 1—4. *Etruscis manat quæ fontibus unda,* Lygdamum imitatur incertus auctor Culicis vs. 46: «gelidis manans e fontibus unda». — *Etruscis . . . fontibus,* thermæ salubres erant in Etruria pluribus locis; cf. Strab. V. p. 227: πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν, ἅπερ τῷ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασται πολὺ πάντων μάλιστα. Tales fuerunt thermæ Cæretanæ (Strab. V. p. 337.), Pisanæ etiam nunc celebres, Tauri Thermæ (Rutil. Namat. I. 250.) etc. — *Unda sub æstivum non adeunda Canem,* quia Romani æstate non utebantur aquis calidis. Cf. Mar-

tial. IV. 47, 5. sqq., ubi thermas Baianas tempore caloris æstivi relinquendas esse censet: «Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri (i. e. sol est in signo Leonis), Nec satis est Baias igne calere suo: Ergo sacri fontes et litora sacra valete, Nympharum pariter Nereidumque domus. Herculeos montes gelida vos vincite bruma: Nunc Tiburtinis cedite frigoribus». — *æstivum . . . Canem,* poeta imitatur Tib. I. 4, 6: «æstivi tempora sicca Canis»; apud Græcos κύων ὀπωρινός, ut in epigrammatibus incert. auct. Anth. Pal. X. 12, 7. et Anth. Plan. 227, 7. — *Canem,* Canicula sive Sirius, de quo Plin. N. H. II. 128: «Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV. ante Aug. Kalendas est». — *sacris Baiarum . . . lymphis,* intellege thermas Baianas numine nympharum sacras; cf. Martial. IV. 47, 7—8, de fontibus Baianis: «sacri fontes . . . Nympharum . . . domus». — *proxima,* bonitate, salubritate aquarum. Ceterum *proxima* est coniectura Scioppii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Cum se purpureo vere remittit humus,* versum imitatur Ov. Fast. IV. 126: «Vere nitent terræ, vere remissus ager». — *purpureo vere,* propter flores; poeta ante oculos habuit Verg. Ecl. 9, 40—41: «Hic ver purpureum, varios hic flumina circum Fundit humus flores», quem locum etiam Tibullus imitatus est I. 4, 29: «Quam cito purpureos deperdit terra colores». Cf. etiam Ov. Met. V. 390—391: «Frigora dant rami, *Tyrios* humus umida flores, Perpetuum ver est». *Purpureus* igitur hoc loco non rubrum colorem, sed splendorem florum variorum splendori purpuræ similem significat, unde Ov. Fast. IV. 126: «Vere nitent terræ»; cf. Hor. Carm. IV. 1, 10: «purpureis ales oloribus», Verg. Aen. I. 590: «lumenque iuventæ Purpureum». —

remittit, se relaxat; erat enim per hiemem frigore adstricta.

V. 5—10. *Persephone,* dea inferorum et mortis. — *nigram . . . horam,* de morte, ut Prop. II. 24, 34: «niger ille dies»; cf. Tib. I. 3, 4: «Abstineas avidas Mors modo nigra manus». — *denuntiat,* minatur. — *Immerito,* innocenti, ut supra IV. 14: «Et frustra immeritum pertimuisse velit». — *parce nocere,* noli nocere, ut Verg. Aen. III. 42: «Parce pias scelerare manus», Ov. Trist. I. 2, 1—2: «Di maris et cæli . . . Solvere quassatæ parcite membra ratis». — *nulli temeranda virorum . . . sacra,* intellege sacra Bonæ Deæ, quæ viris adire non licebat, unde Tib. I. 6, 22: «Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ» et Prop. IV. 9, 25—26: «Femineæ loca clausa deæ fontesque piandos, Impune et nullis sacra retecta viris». — *laudandæ . . . deæ,* quia dea non proprio nomine, sed semper Bonæ cognomine appellari solebat. Proprium eius nomen erat Fauna, sed scriptores antiqui cum diversis diis eam confundunt; cf. Verg. Ge. III. 5: «quis . . . *inlaudati* nescit Busiridis aras», i. e. mali, scelesti. — *docere,* evulgare, quod erat crimen maximum. — *Nec mea mortiferis infecit pocula sucis Dextera,* poeta imitatur Verg. Ge. II. 128: «Pocula si quando sævæ infecere novercæ». — *infecit pocula,* miscuit potum; cf. Verg. Aen. XII. 417—418: «hoc (sc. dictamno) fusum labris splendentibus amnem (sc. aquam) Inficit». — *trita venena,* poeta imitatur Prop. II. 17, 14: «Sumere et in nostras trita venena manus». Tale fuit venenum cicutæ; cf. Ov. A. A. III. 465: «Et dare mixta viro tritis aconita cicutis»; Plin. N. H. XXV. 152: «sucus (cicutæ) exprimitur foliis floribusque . . . semine trito expressus et sole densatus in pastillos necat sanguinem spissando»; Platon. Phædon.

p. 117. de veneno cicutæ, quo Socrates necatus est: τὸ φάρμακον ἐν κύλικι φέροντα τετριμμένον.

V. 11—14. *Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,* cf. Tib. I. 2, 81: «Num feror incestus sedes adiisse deorum?» — *Nec cor sollicitant facta nefanda meum,* poeta respexit Tib. I. 3, 51. (de se ægrotante et mortem timente): «timidum non me periuria terrent». — *insanæ meditantes iurgia mentis,* insana mente convicia in deos meditantes; cf. Tib. II. 6, 18: «insana mente nefanda loqui». — *iurgia mentis,* cf. Prop. I. 3, 18: «iurgia sævitiæ». — *Impia in adversos solvimus ora deos,* ut supra IV. 16: «Nec læsit magnos impia lingua deos». Poeta ante oculos habuit Tib. I. 3, 12: «Non dicta in sanctos impia verba deos»; cf. etiam Tib. IV. 4, 14: «Dicit in æternos aspera verba deos». — *adversos,* inimicos, ut Prop. I. 1, 8: «Cum tamen adversos cogor habere deos». — *solvimus ora,* Lygdamum imitatur Ov. Met. III. 261: «linguam ad iurgia solvit», ibid. I. 181: «ora indignantia solvit», ibid. IX. 427—428: «sua Iuppiter ora Solvit».

V. 15—20. *Et nondum cani nigros læsere capillos,* cf. Prop. III. 5, 24: «Sparserit et nigras alba senecta comas». — *cani,* sc. capilli. — *læsere,* corruperunt, turpaverunt; cf. Lucan. V. 456: «læsum nube iubar» et Verg. Aen. XII. 67—68: «Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur». — *Nec venit tardo curva senecta pede,* versum imitatur Ov. A. A. II. 670: «Iam veniet tacito curva senecta pede». — *tardo . . . pede,* quia senes ægre trahunt pedes; poeta ante oculos habuit Tib. II. 2, 19—20: «tarda senectus Inducat rugas inficiatque comas» et I. 1, 71: «Iam subrepet iners ætas» et I. 10, 40: «pigra senecta». — *Natalem primo nostrum videre parentes,* i. e. natus sum. — *Cum cecidit fato consul*

uterque pari, natus est igitur Lygdamus a. 43. a. Chr. n., cum Hirtius et Pansa consules bello Mutinensi ceciderunt. Eodem anno natus est Ovidius, qui totum versum in suum usum convertit Trist. IV. 10, 5—6: «Editus hic (sc. Sulmone) ego sum, nec non ut tempora noris, Cum cecidit fato consul uterque pari». — *Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis Et modo nata mala vellere poma manu,* locum ad obscenam rem transtulit Ov. Am. II. 14, 23—24. (de abacto Corinnæ fetu): «Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis Pomaque crudeli vellis acerba manu?» — *crescentibus uvis,* de immatura iuventute, ut Hor. Carm. II. 5, 9—10: «tolle cupidinem Immitis uvæ»; cf. Anth. Pal. Append. 98, 5—6: Δακρυχαρὴς Πλούτων, οὐ πνεύματα πάντα βρότεια Σοὶ νέμεται; τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης. — *mala . . . manu,* crudeli.

V. 21—26. *Parcite,* invocat omnes deos inferos. — *pallentes undas,* ut supra I, 28: «pallida Ditis aqua»; cf. adn. ad h. l. et Culicis 333: «Pallentesque lacus et squalida Tartara». — *quicumque,* iunge cum *dei.* — *Duraque sortiti tertia regna,* nam Iuppiter, Neptunus et Pluto sortitione regnum mundi in tres partes (cælum, mare, Orcum) diviserunt; cf. Ov. Fast. IV. 534. de Proserpina: «Nupta Iovis fratri tertia regna tenet» et Met. V. 368. de Plutone: «Cui triplicis cessit fortuna novissima regni»; Senec. Herc. Fur. 837: «tertiæ regem sortis» et ibid. 613: «tertiæ sortis loca». — *sortiti,* supple: estis. — *Elysios . . . campos,* dixit supra vss. 7. sqq. vitam suam culpa vacuam esse; sperat igitur se in Elysium, sedem piorum, deventurum. — *Lethæamque ratem Cimmeriosque lacus,* cf. Prop. II. 28, 41—42: «Una ratis fati nostros portabit amores Cærula ad infernos velificata lacus». — *Lethæamque ratem,* ut supra III. 10.; cf. adn.

ad h. l. — *Cimmeriosque lacus,* infernos, per quos navigant animæ mortuorum sedes suas petentes; nam secundum Hom. Od. XI. 13, sqq. Cimmerii habitant ante Orcum. Cf. Culicis 232: «Cimmerios lucos». — *Cum mea rugosa pallebunt ora senecta,* cf. Tib. II. 2, 19—20: «dum tarda senectus Inducat rugas». — *Et referam pueris tempora prisca senex,* poeta imitatur Tib. I. 10, 44: «Temporis et prisci facta referre senem».

V. 27—30. *Atque utinam vano nequiquam terrear æstu,* i. e. vano timore, cura, ut supra IV. 13: «Efficiat vanos noctis Lucina timores». Cf. Hor. Sat. I. 2, 109—110: «Hiscine versiculis speras tibi posse dolores Atque *æstus curasque* graves e pectore tolli». — *Tuscæ . . . numina lymphæ,* nymphæ, quibus fontes erant sacri. — *celebrantur,* frequentantur. — *Et facilis lenta pellitur unda manu,* i. e. natatis in aqua; erant enim in thermis natationes (Hungarice *úszómedencze,* Germanice *Schwimmbassin*). Cf. de natationibus Baianis Martial. VI. 43, 1: «Dum tibi felices se indulgent, Castrice, Baiæ Canaque sulphureis nympha natatur aquis» et Rut. Namat. 247—248: «Qualis in Euboicis (Cumanis) captiva natatibus unda Sustinet alterno bracchia lenta sono». Poeta hoc loco contaminavit Tib. I. 4, 12: «Hic placidam niveo pectore pellit aquam» et Prop. I. 11, 12. (de natatione Baiana): «Alternæ facilis cedere lympha manu». — *facilis . . . unda,* quia facile cedit manibus, ut Prop. l. l. docet. — *lenta . . . manu,* flexibili, mobili, ut Ov. Her. 19, 48: «Lentaque dimotis bracchia iactat aquis».

V. 31—34. *Sive erimus,* i. e. vivemus. — *seu nos fata fuisse velint,* mortem significat solito euphemismo; cf. Verg. Aen. II. 325—326: «fuimus Troes, fuit Ilium et ingens Gloria Teucrorum». — *Interea nigras pecudes*

promittite Diti, solebant enim antiqui dis inferis pro salute ægrotorum, ut iis parceretur, vota facere; cf. Tib. I. 5, 15—16. (de se pro salute Deliæ vota Proserpinæ faciente): «Ipse ego velatus filo tunicisque solutis Vota novem Triviæ nocte silente dedi». — *Interea*, dum ægroto.— *nigras pecudes*, nam nigræ hostiæ dis inferis sacrabantur; cf. Verg. Aen. VI. 153. (Sibylla ad Aeneam inferis sacra facturum): «Duc nigras pecudes». — *Et nivei lactis pocula mixta mero,* dis inferis enim et Manibus mortuorum sanguine, lacte et vino solebant libare; cf. adn. supra ad II. 19—20: «Et primum spargant... Lyæo lacte» et Verg. Aen. V. 77—76. de Aenea Manibus Anchisæ sacrificante: «Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro»; Senec. Oed. 578—579. de libaminibus inferorum: «libat et niveum insuper Lactis liquorem, fundit et Bacchum manu». — *nivei lactis*, ut supra II. 20: «niveo lacte».

VI.

Argumentum. Poeta, ut curas amoris abigat, se et amicos ad bibendum excitat pœnamque Bacchi denuntiat recusantibus (1—24.). Sed resurgit dolor iterum atque iterum neque amans puellæ infidelis oblivisci potest (25—38.). Ariadnæ deinde a Theseo relictæ exemplo usus monet amicos, ne verbis blandis iuramentisque in amore fidem habeant (39—50.); fatetur tamen puellam perfidam sibi etiam nunc caram esse (51—56.). In fine, ut dolorem ebrietate vincat, aquam largiore vino misceri iubet (57—64.).

Scripsit Lygdamus hanc elegiam post I—IV. Ibi enim animum uxoris sibi reconciliari posse speraverat, hic autem omnem iam recuperandæ Neæræ spem abiecit.

V. 1—6. *Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis Semper, sic hedera tempora vincta feras,* Bacchum invocat eodem modo, quo Tibullus II. 5, 121—122. Phœbum: «Adnue: sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli, Sic tua perpetuo sit tibi casta soror». — *Candide Liber,* pulchritudine et iuventute fulgens, ut Hor. Carm. I. 18, 11: «Candide Bassareu»; cf. Tib. I. 4, 37: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas». — *sic sit tibi mystica vitis Semper,* sic tibi semper crescat vitis, quæ tibi sacra est; Lygdamum imitatur Ov. Trist. V. 3, 35—36: «Fer, bone Liber, opem: sic altera degravet ulmum Vitis et incluso plena sit uva mero». — *mystica vitis,* quia cistæ, in qua erant res mysticæ in sacris Bacchi portari solitæ, pampino (et hedera) tegebantur. Imago talis cistæ frondibus obsitæ est in Musei Borbonici vol. VIII. T. 36. Poeta ante oculos habuit Hor. Carm. I. 18, 11—13: «Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus Sub divum rapiam» et Tib. I. 7, 48. (de mysteriis Bacchi): «Et levis occultis conscia cista sacris». Cf. etiam Verg. Ge. I. 166: «mystica vannus Iacchi» i. e. quæ in mysteriis Eleusiniis sollemni pompa portabatur. — *hedera tempora vincta,* uvis et hedera erat frons Bacchi redimita; cf. Ov. Fast. VI. 483: «Bacche, racemiferos hedera redimite capillos». — *Aufer et ipse meum patera medicante dolorem: Sæpe tuo cecidit munere victus amor,* poeta ante oculos habuit Prop. III. 17, 3—4. (ad Bacchum): «Tu potes insanæ Veneris compescere fastus, Curarumque tuo fit medicina mero». — *Aufer . . . patera medicante dolorem,* cf. Tib. I. 2, 1: «Adde merum vinoque novos compesce dolores». — *ipse,* orat Bacchum, ut præsentem opem sibi ferat; dixit enim supra vs. 1: *ades.* — *patera medicante,* poculo vini; cf. Verg. Ge. II. 192. de vino:

«laticis, qualem pateris libamus et auro»; Prop. IV. 6, 85: «Sic noctem patera, sic ducam carmine»; Varr. L. L. 4, 26: «In poculis erant pateræ... Hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ causa, potio circumfertur». Ceterum *patera medicante* est coniectura Waardenburgii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *tuo... munere,* sc. vino. — *cecidit... victus Amor,* tamquam in pugna ab adversario humi prostratus. — *Care puer,* blande alloquitur servum vina ministrantem, quia ad pocula pueri pulcherrimi eligi solebant; cf. Stat. Silv. III. 4, 60—62. de pocillatore Domitiani: «Care puer, superis qui prælibare verendum Nectar et ingentem totiens contingere dextram Electus». — *generoso... Baccho,* vino optimo. — *prona... manu,* ad ministrandum ita inclinata, ut vinum large effundatur. — *Falerna,* sc. vina; in agro Falerno sub monte Massico in Campania vinum crescebat generosissimum.

V. 7—12. *durum curæ genus,* i. e. curæ, durum genus. Curæ igitur hoc loco poetice personificantur. Cf. Verg. Ge. I. 63: «Unde homines nati, durum genus». — *labores,* dolores. — *Fulserit hic niveis Delius alitibus,* fulgeat hodie sol candide, i. e. sit hic dies felix; splendidus enim solis fulgor bonum, obscuratus autem malum omen putabatur. *Fulserit,* coni. perf. pro coni. præs. ut sæpissime. Cf. Paneg. in Mess. 123. de omine bono: «Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis»; Catull. 8, 3: «Fulsere quondam candidi tibi soles». Contrarium dicit Hor. Sat. I. 9, 72—73: «huncine solem Tam nigrum surrexe mihi». — *Fulserit... niveis... alitibus,* splendeat equis candidis; dicitur enim sæpe Sol equis suis splendere; poeta ante oculos habuit Prop. III. 5, 34: «Solis et atratis luxerit orbis equis». Cf. etiam Prop.

I. 10, 8: «Et mediis cælo Luna ruberet equis» et II. 15, 32: «citius nigros Sol agitabit equos»; Ov. Her. 8. 105: «altus equis Titan radiantibus instat». — *niveis,* candidis, ut supra III. 25. Cf. etiam Ov. Am. II. 2, 24: «niveos Solis euntis equos» et Rem. 258: «in niveis Luna vehetur equis». — *Delius,* Phœbus Deli natus, i. e. Sol. Similiter Solem *Cynthium* vocat Ov. Fast. III. 345—346. et ibidem 353. — *alitibus,* intellege equos alatos, qui currum Solis trahunt; cf. Ov. Met. II. 153—154: «volucres Pyrois et Eous et Aethon Solis equi, quartusque Phlegon» et Fast. III. 415—416. — *dulces . . . amici,* alloquitur amicos, quibuscum convivium celebrat. — *neget . . . se comitem,* omisso pronomine dicit Hor. Carm. I. 35, 21—22: «Te Spes et albo rara fides colit Velata panno, nec comitem abnegat» et Ov. A. A. I. 127: «comitemque negabat»; pronomine addito Val. Flac. III. 698: «An sese comitem tam tristibus actis Abneget?» — *vini certamen,* i. e. ut Plin. N. H. XXXVI. 156. dicit: «certamen bibendi». — *certamen mite,* opponitur sævo Martis certamini; cf. Hor. Carm. I. 17, 22—24: «nec Semeleius Cum Marte confundet Thyoneus Prœlia»; ibid. I. 27, 3—4: «verecundumque Bacchum Sanguineis prohibete rixis».

V. 13—18. *Ille facit mites animos deus,* sc. Amor, ut vs. 17. elucet. Nexus cum præcedentibus est talis: si quis *mite* certamen vini recusat, fallat eum cara puella, i. e. sit in amore infelix. Tum certe *mitescet,* nam deus amoris mollit animos feros. Poeta imitatur Propertium, apud quem *ille deus* loco simili Amorem significat II. 34, 3—5: «Expertus dico: nemo est in amore fidelis, Formosam raro non sibi quisque petit. Polluit ille deus (sc. Amor) cognatos, solvit amicos». — *ferocem Contudit,* fregit; poeta imitatur Prop. I. 1, 10: «Sævitiam duræ contudit

Iasidos»; Lygdamum sequitur Ov. A. A. I. 12: «Atque animos placida contudit arte feros». Cf. etiam Prop. I. 14, 17. de Venere: «Illa potest magnas heroum infringere vires, Illa etiam duris mentibus esse dolor». — *ferocem,* ferox est poetis eroticis, quicumque amorem aspernatur; cf. Tib. I. 5, 5. ad Deliam: «Ure ferum et torque» et II. 6, 5. ad Amorem: «Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit». — *dominæ misit in arbitrium,* imperio dominæ subiecit; cf. Tib. II. 3, 79: «ad imperium dominæ sulcabimus agros». — *Armenias tigres et fulvas ille leænas Vicit,* in picturis antiquorum sæpe conspicitur Amor pedem collo leonis imponens; Lygdamum imitantur Ov. Am. II. 14. 35—36: «Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris, Perdere nec fetus ausa leæna suos» et Met. XV. 86: «Armeniæque tigres iracundique leones» et incertus auctor Ciris (vss. 135—136.): «ille (sc. Amor) etiam Pœnos domitare leones Et rabidæ novit vires mansuescere tigris». — *Armenias tigres,* Lygdamus ante oculos habuit Prop. I. 9, 19. (de potentia amoris): «Tum magis Armenias cupias accedere tigres»; cf. etiam Verg. Ecl. 5, 29—30: «Daphnis et Armenias curru subiungere tigres Instituit». — *fulvas . . . leænas,* cf. Verg. Ge. IV. 408: «fulva cervice leæna». — *Sed poscite Bacchi Munera,* redit a digressione in viam, quare utitur particula *sed.* — *pocula sicca,* vacua; cf. supra vs. 5: «madeant generoso pocula Baccho».

V. 19—24. *Convenit ex æquo,* supple *illos* ex sequente *illis;* intellege: æquus et placidus venit Bacchus ad illos, qui eum colunt. — *torvus . . . in illis,* pro: in illos; poeta imitatur Propertium, qui sæpe habet *in* cum ablativo personæ, ubi agitur alicuius erga aliquem affectu, ut Prop. I. 13, 7—8: «Perditus in quadam tardis pallescere

curis Incipis», III. 8, 28: «Semper in irata pallidus esse velim», II. 4, 18: «gaudeat in puero». Lygdamum imitatur Ov. Am. I. 7, 34: «Tydides sævus in hoste fuit». — *vina iocosa,* poeta ante oculos habuit Hor. Carm. III. 21, 2. ad amphoram: «Seu tu querelas sive geris iocos» et ibid. III. 21, 15—16: «arcanum iocoso Consilium retegis Lyæo». — *Convenit . . . severos,* ex coniectura Lachmanni; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *iratus nimium nimiumque,* ut Ov. Her. 1, 41: «o nimium nimiumque oblite tuorum». — *severos,* sobrios, siccos, ut Catull. 27, 5: «At vos quolibet hinc abite, lymphæ, Vini pernicies et ad severos Migrate» et Hor. Ep. I. 19, 7—8: «forum putealque Libonis Mandabo siccis, adimam cantare severis». — *qualis quantusque,* hoc loco non ad externam speciem pertinet, sed significat: quam gravis quamque potens; cf. Ov. Met. III. 284—286: «quantusque et qualis ab alta Iunone excipitur, tantus talisque, rogato, Det tibi complexus», ubi tamen de externa specie Iovis ad Semelen descendentis agitur. — *Cadmeæ matris præda cruenta docet,* Pentheus, rex Thebanus, contemptor Bacchi a matre Agave et a sororibus eius furore Bacchi correptis discerptus est; cf. Ov. Met. III. 511. sqq. et præcipue 727—728: «Avulsumque caput (sc. Penthei) manibus complexa (sc. Agave) cruentis Clamat: Io, comites, opus hæc victoria nostrum est»; Eurip. Bacch. 1237., ubi Agave caput avulsum filii portans dicit: φέρω δ' ἐν ὠλέναισιν, ὡς ὁρᾷς, τάδε λαβοῦσα τἀριστεῖα. — *Cadmeæ matris,* Agave, mater Penthei, filia Cadmi; insolenter dictum. Lygdamum imitatur Senec. Oed. 1027—1028: «furens Cadmea mater abstulit gnato caput».

V. 25—28. *illaque,* sc. Neæra, ut infra vs. 29. elucet. — *si qua est,* supple: ira dei, ex vs. sq. — *Quid precor a*

demens, revocat maledicta in Neæram, quia infidelem puellam amare non desiit; locum imitatur Ov. Trist. V. 10, 51: «Quid loquor a demens? — *Venti temeraria vota Aeriæ et nubes diripienda ferant,* cf. adn. supra ad IV, 96: «Et iubeat tepidos irrita ferre notos». Lygdamus ante oculos habuit Catull. 30, 9—10: «tua dicta omnia factaque Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis» et ibid. 64, 142: «Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti». Ad sententiam cf. Tib. I. 5, 35—36: «eurusque notusque Iactat odoratos vota per Armenios» et Ov. Am. II. 6, 44: «Vota procelloso per mare rapta noto». — *vota,* devotiones, diræ, ut Tib. II. 6, 53—54: «Tunc tibi, lena, precor *diras:* satis anxia vives, Moverit e *votis* pars quotacumque deos». — *Aeriæ et nubes,* ut vota sublime ferantur in aera.

V. 29—32. *Quamvis nulla mei superest tibi cura,* cf. supra I. 19—20: «Illa mihi referet, si nostri mutua cura est, An minor an toto pectore deciderim». Nunc iam scit poeta se totum ex animo puellæ excidisse. — *candida fata,* felicia, ut Tib. I. 7, 64. de die natali: «Candidior semper candidiorque veni». — *securæ . . . mensæ,* convivio hilari, unde curæ absunt. — *reddamus tempora mensæ,* i. e. obliviscamur Neæræ et redeamus ad compotationem. — *post multos,* sc. non serenos, mæstos.

V. 33—38. *imitari gaudia falsa,* gaudia simulare imitando. — *risus componitur,* simulatur, fingitur, ut Tib. (Sulp.) IV. 7, 9: «vultus componere famæ Tædet» et Senec. Consol. ad Helv. 16: «per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimæ profunduntur». — *ebria verba,* i. e. hilaria, convivio digna. — *Odit Lenæus tristia verba pater,* cf. Tib. I. 7, 43—44. ad Osiridem, quem cum Baccho Græci confundebant: «Non tibi sunt tristes curæ nec

luctus, Osiri, Sed chorus et cantus et levis aptus amor». — *Lenæus . . . pater*, Bacchus a ληνῷ, i. e. a labro, ubi uvæ calcabantur; cf. Verg. Ge. II. 4—8: «Huc, pater o Lenæe — tuis hic omnia plena Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno Floret ager, spumat plenis vindemia labris — Huc, pater o Lenæe, veni nudataque musto Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis».

V. 39—44. *Gnosia,* Ariadne, filia Minois, regis Cretæ, a Gnoso, urbe Cretæ, ita nominata. — *Theseæ quondam periuria linguæ Flevisti ignoto sola relicta mari,* Theseus Ariadnam, quæ ei, ne errore labyrinthi deciperetur, filum legendum dederat, secum abduxit ex Creta domum proficiscens, sed mox in insula Diæ perfide reliquit. Locum imitatur Ov. A. A. III. 35—36: «Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas Pavit in ignoto sola relicta loco» et ibid. I. 5—7: «Gnosis in ignotis amens errabat harenis». — *ignoto . . . mari,* ad ignotum mare, in litore maris ignoti, ut Prop. I. 3, 1—2: «Qualis Thesea iacuit cedente carina Languida desertis Gnosia litoribus»; cf. Catull. 64, 132—133: «Sicine me patriis avectam, perfide, ab oris, Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?» Lygdamus imitatur Propertium, qui sæpe simplici ablativo loci utitur pro *ad* et accusativo, ut I. 15, 9—10: «At non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleverat æquoribus» i. e. in litore deserti maris; ibid. I. 14, 1—2: «Tu licet abiectus Tiberina molliter unda Lesbia Mentoreo vina bibas opere» i. e. ad Tiberim, in ripa Tiberis. Ceterum cf. etiam adn. supra ad III. 38: «in ignava . . . Orcus aqua». — *Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,* apud Catullum c. 64. vss. 132—201. leguntur querelæ Ariadnæ a Theseo desertæ. — *pro te,* Catullus enim ipsa Ariadnæ verba refert l. l. — *doctus . . .*

Catullus, quia summa cum arte imitatus est poetas Græcos, præcipue Alexandrinos; eodem cognomine Catullum ornant Ov. Am. III. 9, 62; Martial. I. 61. et VII. 98. — *Minoi*, filia Minois; ita appellat Ariadnen etiam Catullus 64, 60. — *ingrati . . . viri*, quia Theseus perfide reliquit eam, cui vitam debuit. — *felix, quicumque dolore Alterius disces posse cavere tuos*, cf. Ov. A. A. III. 455: «Discite ab alterius vestris timuisse querelis». — *posse cavere tuos*, sc. dolores; i. e. alterius dolore disces cavere posse, ne ipse quoque tales patiaris dolores.

V. 45—50. *capiant*, decipiant. — *pendentia bracchia collo*, sc. bracchia amplectentis puellæ; cf. Catull. 35, 8—10: «Quamvis candida milies puella Euntem revocet manusque collo Ambas iniciens roget morari» et Ov. Trist. III. 5, 15: «Bracchiaque accepi presso pendentia collo». — *Aut fallat blanda subdola lingua prece*, Lygdamum imitatur Ov. Her. 15, 55: «Nec vos decipiant blandæ mendacia linguæ». — *blanda . . . prece*, ut Hor. A. P. 395. et Senec. Herc. Fur. 1019—1020; cf. Prop. I. 15. 42: «O nullis tutum cedere blanditiis». — *subdola lingua*, ut Ov. A. A. I. 598. de ebrietate simulata: «Fac titubet blæso subdola lingua sono». — *subdola*, ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *perque suos fallax iuravit ocellos*, per oculos iurare solebant puellæ amantibus; cf. Prop. I. 5, 33—36: «Nam tibi ne viles isti videantur ocelli, Per quos sæpe mihi credita perfidia est: Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses, Ut tibi suppositis exciderent manibus»; Ov. Am. II. 16, 43—46: «At mihi te comitem iuraras usque futuram Per me perque oculos, sidera nostra, tuos». — *Iunonemque suam*, viri per Genium suum, feminæ autem per Iunonem suam, quæ erat feminarum patrona, ut Genius virorum, iurare sole-

bant; cf. Senec. Ep. 110, 1: «singulis enim maiores nostri et Genium et Iunonem dederunt»; Petron. 25. (Quartillæ verba): «Iunonem meam iratam habeam, si unquam me meminerim virginem fuisse»; per Iunonem dominæ iurat etiam Tib. IV. 13, 15: «Hoc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro». — *perque suam Venerem,* per Venerem et Amorem sæpissime iurant amantes. — *periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet,* cf. adn. supra ad IV. 96: «Et iubeat tepidos irrita ferre notos». Lygdamus imitatur Tib. I. 4, 21—24: «Nec iurare time: Veneris periuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt. Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere, Iurasset cupide quidquid ineptus amor»; Lygdamum sequitur Ov. A. A. I. 633—634: «Iuppiter ex alto periuria ridet amantum Et iubet Aeolios irrita ferre notos»; cf. etiam Ov. Am. II. 16, 45—46: «Verba puellarum, foliis leviora caducis, Irrita, qua visum est, ventus et unda ferunt« et Am. II. 6, 19—20: «Tu, dea, tu iubeas animi periuria puri Carpathium tepidos per mare ferre notos». Contrarium dicit Prop. II. 16, 47—48: «Non semper placidus periuros ridet amantes Iuppiter et surda neglegit aure preces». — *periuria ridet amantum Iuppiter,* similis sententia occurrit iam apud Hesiodum teste Apollod. Bibl. II. 5: διό φησιν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γιγνομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος; cf. Plat. Phileb. p. 65. c.: καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τ' ἀφροδίσια . . . καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν; Callim. Anth. Pal. V. 5: Ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων. Causam huius rei iocose tangit Ov. A. A. I. 635—636: «Per Styga Iunoni falsum iurare solebat Iuppiter: exemplo nunc favet ille suo».

V. 51—56. *Ite a me, seria verba, precor,* poeta imita-

tur Tib. II. 3, 74: «si fas est, mos precor ille redi». — *Quam vellem tecum longas requiescere noctes Et tecum longos pervigilare dies,* sc. inter lusus amoris; cf. Prop. I. 14, 9—11. de amore felici: «Nam sive optatam mecum trahit illa quietem, Seu facili totum ducit amore diem, Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores». — *nobis* ... *merenti,* constructio ad intellectum, *nobis* enim ponitur pro mihi; poeta imitatur Catull. 107, 5—6: «insperanti ipsa refers te Nobis». Cf. Ter. Eun. 649: «Nescio quid profecto absente nobis turbatum est domi». — *merenti,* i. e. bene de te merenti; cf. Plaut. Capt. 935: «bene merenti nostro» i. e. benefactori.

V. 57—62. *Naida Bacchus amat,* i. e. vinum miscendum est aqua; *naides* enim erant nymphæ aquarum. Poeta ante oculos habuisse videtur Hor. Carm. III. 25, 14—15. de Baccho: «o Naiadum potens Baccharumque»; naides comitantur Bacchum etiam apud Pratin. Hyporch. 4. Cf. hymn. Orph. 64, 6. de Sileno: Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε. — *o lente minister,* alloquitur pocillatorem, ut supra vs. 5: «Care puer». — *annosum* ... *merum,* ut supra II. 19: «annoso Lyæo». — *Marcia lympha,* aquæductus Romæ optimus; cf. Plin. N. H. XXXI. 41: «Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio urbis Marcia est inter reliqua deum munera urbi tributa ... Oritur in ultimis montibus Pelignorum ... Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus e regibus, postea Q. Marcius Rex in prætura, rursusque restituit Agrippa»; ibid. XXXVI. 121: «Q. Marcius Rex iussus a senatu aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ ductus reficere novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit, Agrippa vero in ædilitate adiecta Virgine aqua

ceterisque conrivatis atque emendatis lacus septingentos fecit». Lygdamus hanc aquam commemorat Propertii exemplum secutus; cf. Prop. III. 2, 12: «Non operosa rigat Marcius antra liquor» et III. 22, 24: «æternum Marcius umor opus». — *fugit nostræ convivia mensæ*, i. e. reliquit Neæra domum Lygdami, ubi domina esse et una cum marito hospites excipere debebat. — *ignotum . . . torum*, amorem ignoti et ignobilis hominis; dixit enim supra IV. 60: «Nec gaudet casta nupta Neæra domo». Opponit igitur Lygdamus se honesta domo ortum viro illi ignobili, cuius amorem Neæra cupit. Cf. Tib. (Sulp.) IV. 10, 6: «Ne cedam ignoto maxima causa toro» i. e. ne præferatur mihi amica humili loco nata; Prop. IV. 8, 34: «Et venere ignota furta novare mea» i. e. amore meretricum vulgarium. — *Tu puer i*, in talibus locutionibus *i* idem fere significat, quod *age*, habetque semper imperativum alterum adiunctum; cf. Hor. Sat. I. 10, 92: «I puer atque meo citus hæc subscribe libello» et Prop. III. 23, 23: «I puer et citus hæc aliqua propone columna».— *liquidum . . . merum*, clarum, sine fæce; cf. Hor. Ep. I. 14, 34: «liquidi Falerni» et Colum. XII. 38, 4: «curandum est, ut cum diffundis (vinum), liquidum et sine fæce diffundas». — *fortius*, adverbium: maiore cum sedulitate, diligentius (dixit enim supra vs. 67: «*lente* minister»), ergo: largius; *fortiter* enim interdum idem fere significat, quod: sedulo, ut e. gr. Tib. II. 3, 5—6: «O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic Versarem valido pingue bidente solum». — *adde merum*, i. e. potioni more veterum ex aqua vinoque mixtæ merum largius addat servus; cf. Tib. I. 2, 1: «Adde merum vinoque novos compesce dolores».

V. 63—64. *Iam dudum Syrio madefactus tempora*

nardo Debueram sertis implicuisse comas, nam capillos unguentis odoratis collinere et coronis ornare solebant convivæ hilares; poeta ante oculos habuit Tib. II. 2, 6—7. (de Genio): «Cui decorent sanctas mollia serta comas, Illius puro destillent tempora nardo». — *Syrio . . . nardo,* unguento nardino ex Syria Romam advecto; cf. adn. supra ad II. 24: «pinguis et Assyria». Lygdamus imitatur Hor. Carm. II. 11, 14—17: «rosa Canos odorati capillos, Dum licet, Assyrioque nardo Potamus uncti»; cf. etiam Hor. Carm. II. 7, 7—8: «coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos». — *nardo,* frutex odorifer Indiæ, ex quo unguentum fiebat pretiosissimum; cf. Plin. N. H. XII. 42.

AD PANEGYRICUM.

Argumentum. Poeta infirmas ingenii vires excusans orat Messallam, ut benigne accipiat carmen; vult enim in honorem eius in posterum etiam alia scribere (1—17.). Maxime optat, ut victor sit inter laudatores viri magni maiores clarissimos fama superantis (18—38.). Cum Messalla in bello et in foro pariter sit excellens (39—44.), primum de forensi eloquentiæ gloria dicit, eum cum Nestore et Ulixe comparat digressione de erroribus Ulixis facta (45—81.). Sequitur locus de scientia Messallæ militari (82—105.), unde poeta transit ad res eius in Iapydia et Pannonia gestas (106—117.). Narrat deinde Messallam modo consulatum auspiciis optimis inisse (118—134.), quare eum in toto orbe terrarum habitabili mox res maximas gesturum vaticinatur (135—150.), quo transitu parato digreditur ad quinque zonas orbis describendas (151—176.). In fine denuo excusat ingenii tenuitatem et se in perpetuum Messallæ addictum fore promittit (177—211.).

Scriptum est carmen a. 31. a. Chr. n. paulo post Kalendas Ianuarias, quo die M. Valerius Messalla Corvinus (una cum Octaviano) consulatum inierat, ut ex vss. 188. sqq. elucet.

Auctor imitatur Catullum, Lucretium, Vergilii Eclogas et partes Georgicorum nondum editorum, quas poeta ille

maximus aut publice recitasse aut amicis legendas misisse putandus est.

Panegyricum Tibullo tribui non posse iam pridem inter viros doctos constat; ego *Propertio vindicandum esse censeo.* Sententiam meam confirmat:

I. Similis nominum, quæ dicuntur, abstractorum usus. Vide Paneg. vs. 29: «Non tua maiorum contenta est gloria fama»; cf. Prop. II. 7, 17: «Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen». — Paneg. 45: «Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi» i. e. vulgus inconstans; cf. Prop. I. 16, 37: «Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ» et III. 16, 17: «Sæva canum rabies morsus avertit hiantes». — Paneg. 112: «Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ» i. e. longam vitam Nestoris clari; cf. Prop. I. 13, 23—24: «Non sic cælestem flagrans amor Herculis (i. e. Hercules amans) Heben Sensit in Oetæis gaudia prima iugis», I. 20, 15—16: «Quæ miser ignotis error perpessus in oris Herculis» i. e. Hercules errans, II. 30, 35: «Oeagri quædam compressa figura» i. e. ab Oeagro pulchro, III. 4, 8: «Et solitum armigeri ducite munus equi» i. e. equum solito munere fungentem, III. 9, 54: «Parthorum astutæ tela remissa fugæ» i. e. tela Parthorum fugientium, III. 19, 21: «Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura» i. e. a Minoe formoso, IV. 7, 57: «Una Clytemæstræ stuprum vehit» i. e. Clytemæstram adulteram. — Paneg. 180: «Languida non noster peragit labor otia» et 189: «Cum memor ante actos semper dolor admonet annos»; cf. Prop. I. 18, 13: «Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet», I. 18, 29: «Et quodcumque meæ poterunt narrare querelæ», III. 5, 4: «Nec bibit e gemma divite nostra sitis».

II. Similis usus aliorum verborum. *Vestigia* pro *pedes*:

cf. Paneg. 13: «Læta Molorcheis posuit vestigia tectis» et Prop. II. 9, 45: «Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto»; adde Prop. I. 3, 9: «Ebria cum traherem multo vestigia Baccho». — *Addere* pro *imponere:* cf. Paneg. 133—134: «additus aris Lætior eluxit structos super ignis acervos» et Prop. II. 13, 33: «Et sit in exiguo laurus super addita busto». — *Negationum cumulatio:* cf. Paneg. 164: «Nulla nec exustas habitant animalia partes» et Prop. II. 19, 5—6: «Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras, Nec tibi clamatæ somnus amarus erit»; adde Prop. III. 13, 23: «hic nulla puella Nec fida Euadne, nec pia Penelope». — *Deficio* pro *desino:* cf. Paneg. 191: «Non te deficient nostræ memorare Camenæ» et Prop. I. 8, 23: «Nec me deficiet nautas rogitare citatos». — *Properare* similiter positum: cf. Paneg. 205: «Seu matura dies celerem properat mihi mortem» et Prop. II. 28, 25: «Quodsi forte tibi properarent fata quietem». — *Nare* sive *natare* pro *navigare:* cf. Paneg. 70: «Illum inter geminæ nantem confinia mortis» (de Ulixe) et Prop. III. 12, 32: «Totque hiemis noctes totque natasse dies» (de eodem).

III. Similitudo sententiarum. Cf. Paneg. 3—4. et 7: «a meritis si carmina laudes, Deficiant: humilis tantis sim conditor actis . . . Est nobis voluisse satis» et Prop. II. 10, 5—6: «Quodsi deficiant vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse sat est». — Paneg. 10: «puro testantur sidera cælo» et Prop. II. 27, 3—7: «Quæritis et cælo, Phœnicum inventa, sereno, Quæ sit stella homini commoda quæquæ mala». — Paneg. 67—68: «inferno Plutonis subdita regno Magna deum proles» et Prop. IV. 11, 3: «Cum semel infernas intrarunt funera leges». — Paneg. 143: «Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe»

et Prop. II. 11, 51: «vaga flumina Nili»; adde Prop. I. 20, 10: «Sive ubicumque vago fluminis hospitio» et III. 15, 27: «Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis». — Paneg. 178: «Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus» et Prop. IV. 1, 133: «Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo».

IV. Similitudo in rebus mythicis. Paneg. 50—51: «Vixerit ille senex (sc. Nestor) quamvis, dum terna per orbem Sæcula fertilibus Titan decurreret horis» et ibid. 112: «Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ»; cf. Prop. II. 13, 46: «Nestoris est visus post tria sæcla cinis». — Auctor Panegyrici vss. 52—78. Messallam cum Ulixe comparat et digressione facta *totum Odysseæ argumentum* enarrat; idem facit Propertius III. 12, 23—36., ubi amicum suum Postumum, maritum Aeliæ Gallæ, uxoris optimæ, comparat cum Ulixe, Penelopes marito. Hoc loco præter similitudinem totius digressionis etiam singula sunt notanda, ut Paneg. 56—57: «Aetnææ Neptunius incola rupis Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho», ubi scriptor plurali numero utitur de uno Cyclopis oculo loquens; eodem modo dicit Prop. III. 12, 26: «Exustæque tuæ mox, Polypheme, *genæ*» i. e. oculi; adde Prop. II. 33, 31—32: «peristi Nec non Ismario tu, Polypheme, mero». Paneg. 75. de Charybdi: «Vel si *interrupto* nudaret gurgite pontum»; cf. Prop. III. 12. 28: «alternas *scissa* Charybdis aquas». Paneg. 70: «Illum inter geminæ *nantem* (i. e. navigantem) confinia mortis»; cf. Prop. III. 12, 32: «Totque hiemis noctes totque *natasse* (i. e. navigasse) dies»; agitur autem utrobique de Ulixe navigante, ut iam supra vidimus. Cf. etiam finem narrationis apud utrumque scriptorem: Paneg. 78: «Finis et *erroris miseri* Phæacia tellus» et Prop. III. 12, 36: «*Errorisque* sui

sic statuisse modum»; adde Prop. I. 20, 15—16: «Quæ *miser* ignotis *error* perpessus in oris Herculis». — Paneg. 120: «Quis *Amythaonius* nequeat certare *Melampus*» et Prop. II. 3, 51—54: «Turpia perpessus vates est vincla *Melampus* Cognitus Iphicli surripuisse boves, Quem non lucra, magis Pero formosa coegit, Mox *Amythaonia* nupta futura domo». — Paneg. 200: «Posse *Meleteas* nec mallem vincere chartas», ubi *Meleteus* Homerum * significat, quod nusquam alibi huc usque legebatur apud scriptores Latinos; sed cf. Prop. II, 34, 29—30: «Aut quid *Erechthei* tibi prosunt carmina lecta? Nil iuvat in magno vester amore senex», ubi agitur de Homero et *Erechthei* corruptum est. Ego non dubito, quin scribendum sit: «*Quidve Meletei* tibi prosunt carmina lecta?»

V. Similitudo in descriptione mundi silentis et tamquam ore sacris faventis. Paneg. 123—129. agitur de Messalla consule Kalendis Ianuariis publica vota faciente:

> Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
> Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
> Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,
> Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
> Ulla nec aerias volucris perlabitur auras
> Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
> Quin largita tuis sint muta silentia votis.

Quibuscum cf. Prop. III. 10, 5—10., ubi agitur de Cynthia natali suo vota faciente:

> Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
> Ponat et in sicco molliter unda minax.

* Sc. Homernm Smyrnæum a Melete, fluvio Smyrnam alluente.

Aspiciam nullos hodierna luce dolentes
  Et Niobe lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
  Increpet absumptum nec sua mater Ityn.

Auctor Panegyrici in fine descriptionis ut bonum omen commemorat 133—134:

additus aris
Lætior eluxit structos super ignis acervos;

idem dicit Prop. III. 10, 19—20:

Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
  Luxerit et tota flamma secunda domo.

VI. Similitudo sortis utriusque poetæ. Auctor Panegyrici queritur se domum magnificam — verisimiliter in distributione agrorum inter veteranos a. 41. a. Chr. n. facta — amisisse vs. 183. et 188: «Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret . . . Nunc desiderium superest»; etiam Propertius perdidit — eodem modo — domum paternam, ut IV. 1. 127—128. docemur: «Ossaque legisti non illa ætate legenda Patris et in *tenues* cogeris ipse *lares*» i. e. e domo magna in domum parvam; adde Prop. IV. 1, 132: «*Matris* et *ante deos* libera sumpta toga», unde elucet eum in domo matris virilem togam sumpsisse, quod certe non fecisset, nisi paternam domum amisisset. Auctor Panegyrici etiam agros suos perdidit, quos vss. 184—188. ita deflet:

Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea fecundas ad deficientia messis,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
Et domino satis et nimium furique lupoque:
Nunc desiderium superest.

Similiter dicit Prop. IV. 1, 129—130. de metatione agrorum veteranis assignatorum:

> Nam tibi cum *multi* versarent rura *iuvenci*,
> Abstulit *excultas* pertica tristis opes.

Neque tamen auctor Panegyrici omnia bona amisit; dicit enim vs. 90: «Sed licet asperiora cadant spolierque *relictis*»; idem contigit Propertio, ut II. 34, 55—56. docemur: «Aspice me, cui parva domi fortuna *relicta est*».

Statuamus igitur *Propertium anno fere 49. natum hunc Panegyricum scripsisse adulescentulum duodeviginti annorum* neque carmen a quibusdam tantopere reprehensum ingenio eius prorsus indignum putemus. Sit sane opus immaturum ineptissimaque adulatione refertum; sed scriptum est dicendi genere vel optimis aureæ ætatis poetis digno versibusque elegantissimis. Ex ungue leonem!

V. 1—6. *tua cognita virtus,* clara, spectata. — *Terret, ne . . . nequeant,* verbum terrendi iungitur cum *ne* ad similitudinem verborum timendi; cf. Hor. Carm. I, 2, 5—6: «Terruit gentes, grave ne rediret Sæculum Pyrrhæ».— *ne . . . nequeant,* ut Verg. Ge. III. 127: «ne blando nequeat superesse labori». — *ne,* ex coniectura Vossii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *subsistere,* sufficere, ut Ov. Ex Pont. III. 4, 83: «Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo Aeneidos vati grande fuisset opus». — *A meritis si carmina laudes,* si ea tantum carmina laudas, quæ meritis tuis digna sunt. Sed scribendum videtur potius: *e meritis,* ut dicitur: aliquid *ex* aliqua re æstimare. — *tantis . . . actis,* dativus: ad tanta facta canenda.— *conditor,* scriptor, narrator; poeta respexit Verg. Ecl. 6, 6—7: «namque super tibi erunt, qui dicere laudes, Vare,

tuas cupiant et tristia *condere* bella». — *Nec tua præter te chartis intexere quisquam Facta queat,* erat enim Messalla orator clarissimus. — *chartis intexere,* litteris mandare; locutionem imitatur incertus auctor Ciris (vs. 36. et 39.): «te vellem . . . magnis intexere chartis».

V. 7—11. *Est nobis voluisse satis,* cf. Prop. II. 10, 5—6: «Quod si deficient vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse sat est»; Propertium imitatur Ov. Ex Pont. III. 4, 79: «Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas»; nostrum poetam imitari videtur Panegyr. ad Pison. 202—203: «Quodsi digna tua minus est mea pagina laude, At voluisse sat est: animum, non carmina iacto». — *Phœbo gratissima doma Cres tulit,* fabula legitur in Hymn. Homer. in Apoll. vss. 391. sqq.: Apollinem, cum Pythone occiso templum Delphicum condidisset, homines quosdam pios ex Gnoso, urbe Cretæ, delegisse ad sacra sibi facienda. Cf. præsertim vss. hymni 392—395: ἄνδρες ἔσαν πολέες τε καὶ ἐσθλοί, Κρῆτες ἀπὸ Κνωσοῦ Μινωΐου, οἵ ῥά τ' ἄνακτι Ἱερὰ τε ῥέζουσι καὶ ἀγγέλλουσι θέμιστας Φοίβου Ἀπόλλωνος χρυσαόρου, ὅττι κεν εἴπῃ. — *cunctis Baccho iucundior hospes Icarus,* fabulam narrat Apollod. III. 14, 7. et Hygin. Fabul. 130: «Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suavitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium et Erigonam in hospitium liberale devenit. Iis utrem plenum vini muneri dedit iussitque ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia et cane Mæra in terram Atticam ad pastores devenit et genus suavitatis ostendit. Pastores cum immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt, qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse fustibus eum interfecerunt. Icarium autem occisum canis ululans Mæra Erigonæ monstravit,

ubi insepultus iaceret. Quo cum venisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necavit... Qui deorum voluntate in astrorum numerum sunt delati. Erigone signum *Virginis* . . . Icarius *Arcturus* in sideribus est dictus, canis autem Mæra *Canicula*». — *neget ne longior ætas*, remotior, serior.

V. 12—17. *Alcides*, Hercules; Alceus enim, Persei filius, erat pater Amphitryonis, avus Herculis. — *Læta Molorcheis posuit vestigia tectis*, fabulam narrat Apollod. II. 5, 1: ὁ 'Ηρακλῆς εἰς Τίρυνθα ἦλθε καὶ τὰ προστattόμενα ὑπὸ Εὐρυσθέως ἐτέλει. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπέταξεν αὐτῷ τοῦ Νεμέου λέοντος τὴν δορὰν κομίζειν . . . Πορευόμενος οὖν ἐπὶ τὸν λέοντα ἦλθεν εἰς Κλεωνὰς καὶ ξενίζεται παρ' ἀνδρὶ χερνήτῃ Μολόρχῳ. Cf. Verg. Aen. VIII. 362—365. (Euander ad Aeneam): «hæc — inquit — limina victor Alcides subiit, hæc illum regia cepit. Aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum Finge deo rebusque veni non asper egenis». — *Læta . . . vestigia,* adiectivum pro adverbio: læto animo posuit vestigia. — *posuit vestigia,* pedes, ut Hor. Sat. II. 6, 101—102: «ponit uterque In locuplete domo vestigia», quem locum poeta ante oculos habuisse videtur; cf. Catull. 64, 162: «Candida permulcens liquidis vestigia lymphis»; Prop. I. 3, 9: «Ebria cum traherem multo vestigia Baccho» et II. 9, 45: «Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto». — *Parvaque cælestis placavit mica,* i. e. mica turis aut mola salsa, far micis salis mixtum, genus sacrificii antiquissimum et simplicissimum; cf. Hor. Carm. III. 23, 18—20: «Non sumptuosa blandior hostia Mollivit aversos penates Farre pio et saliente mica»; Ov. Fast. I. 337—338: «Ante, deos homini quod conciliare valebat, Far erat et puri lucida mica salis» et Trist. II. 75—76: «Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum, Sic capitur

minimo turis honore deus» et Silv. Stat. I. 4, 127—131. — *placavit,* aoristos gnomicus. — *inaurato . . . taurus . . . cornu,* ut iam apud Hom. Il. X. 292. et Odyss. III. 384. legimus. — *labor,* de opere poetico, ut Verg. Ecl. 10, 1: «Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem». — *memor,* sc. memor benevolentiæ tuæ, grato animo.

V. 18—23. *Alter dicat opus magni mirabile mundi,* scribat carmen didacticum de rerum natura, ut olim Lucretius. — *opus . . . mundi,* est enim mundus ex sententia Stoicorum opus dei, quare deus a Stoicis δημιουργὸς τῆς κατακοσμήσεως (Diog. Laert. 7, 1, 138.) et ab Ovidio Met. I. 57: «mundi fabricator» et ibid. I. 79: «opifex rerum» vocatur. Cf. etiam Ov. Fast. V. 11—12: «Post Chaos . . . in novas species omne recessit opus». — *Qualis in immenso desederit aere tellus,* terra (elementum primum), ut etiam Stoici docent, propter gravitatem medium mundi locum (cf. Stob. Ecl. I, 19, 4.) occupavit et in aere circumfuso (cf. infra vs. 151: «Nam circumfuso consistit in aere tellus») subsedit. Cf. Lucret. V. 449—451: «Quippe etenim primum terrai corpora quæque, Propterea quod erant gravia et perplexa, coibant In medio atque imas capiebant omnia sedes»; Ov. Met. I. 29—30: «Densior his (sc. aere et æthere) tellus elementaque grandia traxit Et pressa est gravitate sua» et Fast. V. 13: «Pondere terra suo subsedit». — *in curvum pontus confluxerit orbem,* Oceanus (i. e. aqua, elementum secundum) orbem terrarum circumfluens orbem efficit et ipse; cf. Ov. Met. I. 30—31: «circumfluus umor Ultima possedit solidumque coercuit orbem» et incert. auct. Aetn. 94—95: «Quacumque immensus terræ se porrigit orbis Extremique maris curvis incingitur undis». — *pontus,* Oceanus, ut infra vs. 147: «Oceanus ponto qua continet orbem». — *Ut vagus,*

e terris qua surgere nititur, aer, intellege: quomodo *passim fluat* (verbum supplendum est ex vs. 22.) vagus aer (elementum tertium) in superioribus locis, qua e terris surgere nititur; nam secundum Stoicos, ut Stob. Ecl. I. 406. docet, aer et æther sunt φύσει ἀνώφοιτα διὰ τὸ μηδένος μετέχειν βάρους. Cf. etiam Lucret. II. 1110—1111; «Appareret spatium cæli domus altaque tecta Tolleret a terris procul et *consurgeret aer*» et ibid. I. 1087—1088: «At contra tenuis exponunt aeris auras Et calidos simul a medio differrier ignis». Ceterum hoc loco *ut* scripsi ex coniectura Heinsii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Hunc et complexus . . . fluat æther,* nam orbis terrarum in aere undique circumfuso consistit (cf. infra vs. 151.), aer autem undique cingitur æthere, omnia denique clauduntur (cf. infra vs. 23.) cælo. Poeta ante oculos habuit Lucret. II. 1066. (de mundo): «avido *complexu* quem tenet æther» et ibid. V. 467—470: «Sic igitur tum se levis ac diffusilis æther Corpore concreto circumdatus undique flexit Et late diffusus in omnis undique partis Omnia sic avido *complexu* cetera sæpsit» et ibid. V. 500—501: «liquidissimus æther Atque levissimus aerias super *influit* auras».— *Hunc . . . complexus,* scripsi ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *igneus æther,* æther est elementum quartum i. e. ignis; cf. Verg. Ecl. 6, 31—32: «Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animæque (i. e. aeris) marisque fuissent, Et liquidi simul ignis» i. e. ætheris; Ov. Met. I. 26—28: «Ignea convexi vis et sine pondere cæli Emicuit summaque locum sibi fecit in arce». — *Claudantur ut omnia cælo,* cf. Cic. De rep. 6, 17: «Novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum unus est cælestis, qui reliquos omnes complectitur».

V. 24—27. *Seu tibi par poterunt,* i. e. factis tuis par. — *sed quod spes abnuit ultro,* ex coniectura Vulpii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *ultro,* i. e. nullo admonente; scit enim poeta et ipse vires sibi non sufficere ad res Messallæ canendas. — *vovemus,* dedicamus. — *nec tanto careat mihi nomine charta,* vult enim poeta Messallæ nomen, cui carmen dedicaturus est, libro præfigere; cf. Verg. Ecl. 6, 11—12. de ecloga sua Varo dedicanda, quam poeta etiam aliis Panegyrici locis respexit: «nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen». *nomine,* scripsimus cum Heynio; cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 28—32. *antiquæ gentis,* celeberrimæ gentis Valeriæ.— *superant,* abunde sunt; cf. Sallust. Cat. 21: «Quis tolerare potest illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse». — *tua gloria,* abstractum pro concreto: tu, vir gloriose ; cf. Prop. V. 7, 17: «Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen». — *index sub imagine,* intellege imagines cereas maiorum Messallæ in atrio positas, sub quibus inscriptio (hoc loco *index,* vulgo, ut infra vs. 33., *titulus* dictus) indicavit breviter nomen, merita et cursum honorum viri cuiusque. — *Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris,* quia victoriis suis præclara gentis Valeriæ facta cumulavit; cf. Tib. II. 1, 33—34: «Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumphis Et magna intonsis gloria victor avis».

V. 33—38. *titulus,* cf. adn. supra ad vs. 30: «index sub imagine». — *Aeterno . . . versu,* qui æternam servet factorum tuorum memoriam. Cf. Lucret. I. 121: «Ennius æternis exponit versibus». — *quique canent vincto pede quique soluto,* qui laudabunt versibus et oratione soluta; locum imitatur Stat. Silv. II. 7, 22: «qui vos geminas tulit per urtes Et vincto pede vocis et solutæ». — *canent,* per zeugma etiam ad scriptores prosaicos translatum:

laudabunt; cf. Senec. Ep. 79, 13. de Epicuro: «amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione canit» i. e laudat, nam hoc loco non agitur de carmine. — *sim victor in illis,* sc. certaminibus. — *Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis,* ut opus meum palma donatum edere possim. — *tantis . . . in actis,* in carmine tanta acta narrante.

V. 39—44. *castrisve forove,* erat enim Messalla et dux præclarus et orator magnus. — *Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,* poeta ante oculos habuit Hom. Il. XII. 433—436: Ἀλλ' ἔχον ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής, Ἥτε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον ἀμφὶς ἀνέλκει Ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται· Ὣς μὲν τῶν ἐπὶ ἶσα μάχη τέτατο πτόλεμός τε. — *Prona,* iunge cum *plus,* i. e. magis prona; cf. Nemesian. Ecl. IV. 72: «Plus tamen ipse meus, plus est formosus Iollas». — *sedet,* descendit, demergitur, ut Lucret. V. 475: «Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent». — *Qualis, inæquatum* etc., ut fit, si quando in lancibus non æquata ponuntur onera. — *natat,* vacillat, ut Hor. Sat. II. 7, 6—7: «Pars hominum vitiis gaudet constanter et urguet Propositum, pars multa natat» et Senec. Ep. 35: «mutatio voluntatis indicat animum natare». — *alterno depressior orbe,* nam nunc dextra, nunc sinistra lanx descendit. — *depressior,* humilior, ut Lucret. l. l. — *orbe,* intellege lancem libræ rotundam.

V. 45—47. *Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,* sc. in contionibus; agitur de orationibus ad populum. — *diversi,* discordantis, diversis sententiis agitati. — *fremit inconstantia vulgi,* locum imitatur Lucan. IX. 217: «fremit discordia vulgi». — *seu iudicis ira Sit placanda,* agitur de orationibus ad iudices, de causis reorum agendis.

V. 48—51. *Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur,* Messallam comparat cum Nestore et Ulixe, qui secundum Homerum optimi oratores erant. — *Pylos,* patria Nestoris. — *Ithace,* patria Ulixis. — *dum terna per orbem Sæcula fertilibus Titan decurreret horis,* ut infra vs. 112: «Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ». Hom. Il. I. 250. Nestorem tres γενεὰς vixisse affirmat: Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφον ἠδὲ γένοντο Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσε. Scriptores Latini trecentos annos ei dant, ut Prop. II. 13, 46: «Nestoris est visus post tria sæcla cinis»; Ov. Met. XII. 188. (Nestor de se): «vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas». — *per orbem,* per cælum; cf. Verg. Ge. I. 5—6. de Sole et Luna: «vos, o clarissima mundi Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum». *Orbis* pro cælo, ut infra vs. 159. de Sole: «Seu propior terris æstivum fertur in orbem»; Tib. I. 2, 50: «æstivo convocat orbe nives»; Verg. Ge. IV. 426—427: «Ardebat cælo et medium sol igneus orbem Hauserat». — *fertilibus . . . horis,* intellege quattuor tempestates anni, ὥρας Græcorum; in vicissitudine autem temporum causam fertilitatis agnoscere sibi videbantur antiqui. Cf. infra vss. 169—172. de temperata terræ zona: «Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus: Hinc et colla iugo didicit submittere taurus, Et lenta excelsos vitis conscendere ramos, Tondeturque seges maturos annua partus». — *Titan,* Sol, Hyperionis Titanis filius.

V. 52—57. *Ille per* etc., cum vss. 52—78., ubi Ulixis facta narrantur, cf. Prop. III. 12, 23—36., ubi eodem modo in similitudine totum Odysseæ argumentum tangitur. — *per ignotas . . . erraverit urbes;* cf. Hom. Odyss. I. 1—3: Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ

Πλάγχθη ... Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα. — *Qua maris extremis tellus includitur undis,* locum imitatur incertus auctor Aetn. 94—95: «Quacumque immensus terræ se porrigit orbis Extremique maris curvis incingitur undis». — *maris,* Oceani; cf. Cic. Somn. Scip. 21: «parva quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis in terris». — *Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,* cf. Hom. Odyss. IX. 39 - 61. et Odyss. XXIII. 310: Κίκονας δάμασε. — *Nec valuit lotos coeptos avertere cursus,* cf. Hom. Odyss. IX. 83—104. — *avertere,* absolute positum: avertere a via. — *Cessit et Aetnææ Neptunius incola rupis,* cyclops Polyphemus, Neptuni filius, in Sicilia; cf. Hom. Odyss. IX. 105. sqq. Poeta ante oculos habuit Catull. 64, 228: «Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni». — *Cessit,* sc. Ulixi ab eo devictus. — *Aetnææ ... rupis,* scriptores plurimi post Homerum — non Homerus ipse — cyclopes sub Aetna habitasse tradiderunt. Cf. Verg. Ge. I. 471—472. — *Victa,* iunge cum *Baccho.* — *Maroneo ... Baccho,* Ulixes vinum, quod Polyphemo dedit, a Marone, sacerdote Apollinis, accepit, cum urbem Ismarum diriperet; cf. Hom. Od. IX. 196—200: ἀτὰρ αἴγεον ἀσκὸν ἔχον μέλανος οἴνοιο 'Ηδέος, ὅν μοι ἔδωκε Μάρων, Εὐανθέος υἱός, 'Ιρεὺς 'Απόλλωνος, ὃς Ἴσμαρον ἀμφιβεβήκει, Οὕνεκά μιν σὺν παιδὶ περισχόμεθ' ἠδὲ γυναικὶ 'Αζόμενοι. — *foedatus,* fœde occæcatus. — *lumina,* plurali numero utitur, quamquam agitur de uno Cyclopis oculo; eodem modo dicit Prop. III. 12, 26: «Exustæque tuæ mox, Polypheme, *genæ*» i. e. oculi.

V. 58—63. *Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos,* ventos ab Aeolo, rectore ventorum, utre inclusos secum vexit in nave; cf. Hom. Od. X. 19. sqq. — *per Nerea,* Nereus, deus maris, pro mari, ut Verg. Ecl. 6, 35:

«Tum durare solum et discludere Nerea ponto». — *Incultos adiit Læstrygonas,* populum ferum et a cultu humano alienum; cf. Hom. Od. X. 80. sqq. — *Antiphatenque,* qui erat rex Læstrygonum. — *Arlacie,* fons in Læstrygonia; cf. Hom. Od. X. 107—108. — *Solum,* sc. inter socios. — *doctae ... Circes,* magicarum artium peritæ. — *verterunt,* figuram mutaverunt. — *pocula Circes,* cf. Od. X. 316—317: Τεῦχε δέ μοι κυκεῶ χρυσέῳ δέπᾳ ὄφρα πίοιμι, Ἐν δέ τε φάρμακον ἧκε κακὰ φρονέουσ' ἐνὶ θυμῷ. — *Solis genus,* cf. Hom. Od. X. 136—138: Κίρκη ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα, Αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο, Ἄμφω δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου Ἠελίοιο. — *apta vel herbis Aptaque vel cantu,* cumulate dictum pro: apta vel herbis vel cantu, aut: apta herbis aptaque cantu. Cf. Verg. Ecl. 10, 11—12: «*Nam neque* Parnasi vobis iuga, *nam neque* Pindi Ulla moram fecere neque Aonie Aganippe».

V. 64—69. *Cimmerion etiam* etc., Cimmerii habitabant secundum Homerum ante Orcum; cf. adn. supra ad Lygd. V. 24: «Cimmeriosque lacus». Poeta ante oculos habuit Odyss. XI. 13. sqq.: Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου Ὠκεανοῖο. Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε, Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, Οὔθ' ὅτ' ἂν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται. Cf. etiam Verg. Ge. III. 357—359: «Tum Sol pallentes haud unquam discutit umbras, Nec cum invectus equis altum petit æthera, nec cum Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum». — *Cimmerion,* Græca flexione insolenter, ut etiam alia nomina in hoc carmine; cf. Prop. I. 20, 32: «hamadryasin» et ibid. 34: «Thyniasin». — *Seu supra terras Phœbus seu curreret infra,* poeta sequitur eorum sententiam, qui solem noctu anti-

podibus nostris lucere putabant; cf. Verg. Ge. I. 240–243. et 247—254: «Mundus, ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces Consurgit, premitur Libyæ devexus in austros. Hic vertex nobis semper sublimis; at illum Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi ... Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox, Semper et obtenta densantur nocte tenebræ, *Aut redit a nobis Aurora diemque reducit;* Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis, Illic sera rubens accendit lumina Vesper» et Lucret. V. 654—655. de Sole: «*sub terras* cursum convortere cogit Vis eadem, *supra* quæ *terras* pertulit orbem». — *seu curreret infra,* sub terris nobis cognitis; cf. infra vs. 150: «infra vecto mundi pars altera sole». — *inferno Plutonis subdita regno,* alludit ad descriptionem inferorum Homericam in libro XI. Odysseæ; cf. Prop. IV. 11, 3: «Cum semel infernas intrarunt funera leges». — *magna deum proles,* heroes, quos Ulixes apud inferos vidit; cf. Hom. Od. XI. 630—631: Καί νύ κ' ἔτι προτέρους ἴδον ἀνέρας, οὓς ἔθελόν περ, Θησέα Πειρίθοόν τε, θεῶν ἐρικυδέα τέκνα. — *levibus discurreret umbris,* i. e. formis umbrarum (non corporibus solidis) discurreret; sunt enim animæ mortuorum tamquam umbræ corporis. Poeta ante oculos habuit Hom. Od. X. 495. (de mortuis apud inferos): τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. — *Præteriitque cita Sirenum litora puppi,* cf. Hom. Od. XII. 165. sqq. Poeta ante oculos habuit etiam Catull. 64, 6: «Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi».

V. 70—75. *Illum inter geminæ nantem confinia mortis,* inter Scyllam et Charybdim, ut Hom. Od. XII. 73. sqq. narrat. — *nantem,* navigantem, ut Catull. 66, 46: «cumque iuventus Per medium classi barbara navit Athon». — *sævo ... ore,* collective dictum de sex oribus Scyllæ, ut Tib. I. 3, 71: «Tum niger in porta serpentum Cerberus

ore Stridet». Cf. Hom. Od. XII. 90—91. de Scylla: Ἒξ δέ τέ οἱ δειραὶ περιμηκέες, ἐν δὲ ἑκάστῃ Σμερδαλέη κεφαλή, ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες. — *canibus rabidas inter fera serperet undas,* sc. ut nautas corriperet; de figura Scyllæ cf. adn. supra ad Lygd. IV. 89: «virgineam canibus succincta figuram». Poeta ante oculos habuit Verg. Ecl. 6, 74—77: «Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates et gurgite in alto A! timidos nautas canibus lacerasse marinis». — *fluctu consurgeret imo,* imo fluctu sublato; cf. Hom. Od. XII. 237—239. de Charybdi: Ἤτοι ὅτ' ἐξεμέσειε, λέβης ὣς ἐν πυρὶ πολλῷ, Πᾶσ' ἀνεμορμύρεσκε κυκωμένη, ὑψόσε δ' ἄχνη Ἄκροισι σκοπέλοισιν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔπιπτεν. — *interrupto nudaret gurgite pontum,* ut ima profundi maris apparerent; cf. Hom. Od. XII. 240—243: Ἀλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ, Πᾶσ' ἔντοσθε φάνεσκε κυκωμένη, ἀμφὶ δὲ πέτρῃ Δεινὸν ἐβεβρύχει, ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκεν Ψάμμῳ κυανέῃ. — *interrupto . . . gurgite,* undæ enim discedunt et ima maris nuda relinquunt; cf. Prop. III. 12, 28: «alternas scissa Charybdis aquas»; Verg. Aen. I. 106—107: «his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit». — *pontum,* hoc loco ima maris significat.

V. 76—81. *violata . . . pascua Solis,* unde socii Ulixis armenta abduxerunt et mactaverunt; cf. Hom. Od. XII. 260. sqq. — *vagi . . . Solis,* poeta ante oculos habuit Catull. 64, 271: «Aurora exoriente vagi sub lumina solis». — *amor . . . Calypsus,* de quo cf. Hom. Od. V. — *fecunda . . . arva,* quæ Homerus describit Od. V. 63. sqq. — *Atlantidos . . . Calypsus,* cf. Hom. Od. I. 52: Ἄτλαντος θυγάτηρ, sc. Calypso. — *Finis et erroris miseri Phæacia tellus,* de qua re vide Hom. Od. VI. Cf. Prop. III. 12, 36., ubi narrationem de factis Ulixis ita finit: «Erroris-

que sui sic statuisse modum». — *Phæacia tellus*, eadem verba in fine hexametri Ov. Am. III. 9, 47. — *Atque hæc seu* etc., dubitabant antiqui, utrum Ulixes in nostro orbe an extra eum in Oceano Atlantico erraverit. Cf. Senec. Epist. 88: «Quæris Ulixes ubi erraverit... Non vacat audire utrum inter Siciliam et Italiam iactatus sit an extra notum nobis orbem»; Gell. Noct. Att. XIV. 6, 3: «Atque illud etiam scriptum fuit... utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulixes erraverit κατ' Ἀρίσταρχον, an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα». — *nostras inter... terras*, inter terras nobis cognitas in Medio mari. — *sunt cognita*, visa ab Ulixe. — *novum... orbem*, nobis ignotum. — *Sit labor illius*, coniunctivus concessivus.

V. 82—87. *Iam te*, transitum parat, ut infra vs. 98: «Iam simul audacis veniant certamina Martis». — *tenet*, callet. — *tutam... fossam*, quæ castra tuta facit. — *cervos*, valli furcati, ita appellati a similitudine cornuum cervinorum; cf. Sil. Ital. X. 413: «Quaque patet campus planis ingressibus hostis, Cervorum ambustis imitantur cornua ramis». — *Quemve locum*, qualis locus sit castris eligendus. — *dulces... liquores*, aquam bonam, ne milites siti torqueantur. — *erumpat*, sensu transitivo: effundat; cf. Cic. ad Att. XVI. 3: «Ne in me stomachum erumpant, cum tibi sint irati».

V. 88—92. *Laudis et adsiduo vigeat certamine miles*, ut locus idoneus sit ad exercitationes militum. — *tardamve sudem*, gravem; agitur de missilibus ad palum iaciendis. — *lento... pilo*, flexili. Nam pars ferrea pili ita erat facta, ut in scuto hostis fixa se inflecteret; sic enim non poterat ab hoste remitti. Cf. Cæs. B. G. I. 25: «Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis et colligatis, quum ferrum se

inflexisset, neque evellere neque sinistra impedita satis commode pugnare poterant». — *equum . . . arto compescere freno,* adducto; cf. Tib. I. 4, 11: «Hic placet, angustis quod equum compescit habenis». — *effusas . . . habenas,* laxas.

V. 93—97. *modo directo contendere passu,* recto passu progredi, i. e. equum recta via agere; cf. Lucret. VI. 28: «Qua possemus ad id recto contendere cursu». — *Seu libeat,* vel si libeat. — *curvo brevius decurrere gyro,* sc. brevius spatium equo in gyrum acto decurrere; cf. Ov. Rem. 398: «gyro curre, poeta, tuo» et Columel. X. 225: «Me mea Calliope cura leviore vagantem Iam revocat parvoque iubet decurrere gyro». — *decurrere,* ex coniectura Dissenii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Quis parma . . . tueri,* sc. possit; supple ex vs. 92. — *seu dextra velit seu læva,* plur. neutr.: dextram sive lævam partem suam. — *Aptior,* ex coniectura Franckenii; cf. infra adn. crit. ad h. l. *Aptus* hoc loco scientem, peritum significat et adverbii vice fungitur: quis possit aptius signata loca tangere. Cf. supra vs. 83: «Iam te non alius belli tenet *aptius* artes».

V. 98—105. *Tum tibi non desit,* sc. peritia non tibi desit. — *faciem componere pugnæ,* formam aciei ordinare ad pugnam committendam. — *quadratum . . . in agmen,* agitur de acie continua, cui opponitur vs. 103. bipartita. — *Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo,* æquata fronte; cf. Liv. XXXVII. 39: «Consul tria milia ferme peditum æquata fronte instruxit»; Senec. De vit. beat. 4: «Idem excercitus modo latius panditur, modo in angustum coartatur, et aut in cornua sinuata media parte curvatur aut recta fronte explicatur». Hoc loco igitur pluralis *frontibus* ponitur pro singulari, ut sæpissime apud poetas. —

duplicem seiunctim cernere Martem, agitur de acie bipartita, cum separantur duo cornua exercitus neque media acies interponitur. — *cernere Martem,* decernere pugnam; cf. Plaut. Bacch. III. 2, 15: «nunc certamen cernitur». — *Dexter uti lævum teneat dextrumque sinister Miles,* ut in pugna dextrum cornu Romanorum sinistrum cornu hostium detineat et invicem. — *gemini victoria casus,* victoria, quæ a duobus casibus pendet.

V. 106—112. *Iapydiæ miles,* Iapydes erant gens fera et bellicosa in Liburnia, qui rebellarunt a. 36. et 35. a. Chr. n. et devicti sunt a ducibus Romanis, inter quos Messalla fuit. Cf. *Gardthausen:* Augustus u. seine Zeit, p. 323. et 330. — *fallax Pannonius,* quia Pannonii ab Octaviano devicti deditione facta mox (a. 35. et 34. a. Chr. n.) iterum bellum moverunt. Cf. *Gardthausen* ibid. p. 325. sq. — *passim disiectus in Alpes,* ut Consol. ad Liv. vs. 390: «Summaque dispersi per iuga Pannonii». — *Arupinis,* Arupini (ita dicti ab oppido Arupio) erant gens nobilissima in Iapydia. — *pauper,* cf. Strab. VII. p. 315. de Iapydia: λυπρὰ δὲ τὰ χωρία καὶ ζειᾷ καὶ κέγχρῳ τὰ πολλὰ τρεφόμενοι. — *in arvis,* etiam Verg. Ge. III. 475. commemorat: «Iapydis arva Timavi». — *Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ,* de Nestore cf. supra adn. ad vs. 50: «dum terna per orbem Sæcula fertilibus Titan decurreret horis». — *Pyliæ . . . famæ,* abstractum pro concreto: Nestoris clari. Cf. etiam adn. supra ad vs. 48: «Pylos».

V. 112α—117. *tempora,* ex coniectura Vossii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Centum fecundos Titan renovaverit annos,* coniunctivus concessivus; iunge: nam, quamquam centum annos, dum senex vitam peragit, sol renovavit, tamen etc. — *Titan,* cf. adn. supra ad vs. 53: «Titan». —

velox . . . super edere corpus . . . equum, celeriter insilire in equum. — *validisque . . . habenis,* ablativus qualitatis; iunge cum *moderator.* Poeta imitatur Lucret. II. 1095—1096: «quis habere . . . Indu manu validas potis est moderanter habenas». — *domator,* equorum domitor. Ceterum forma *domator* pro *domitor* apud bonos scriptores nusquam occurrit; apud Petron. 74, 14. participium *domatus* ex vulgari sermone est petitum. Cf. infra adn. crit. ad h. l.

V. 118—122. *Amythaonius . . . Melampus,* Amythaonis filius, vates heroicorum temporum celeberrimus; cf. Verg. Ge. III. 550: «Amythaoniusque Melampus» et Prop. II. 3, 51—54: «Turpia perpessus vates est vincla *Melampus,* Cognitus Iphicli surripuisse boves: Quem non lucra, magis Pero formosa coegit, Mox *Amythaonia* nupta futura domo». — *fulgentem Tyrio subtegmine vestem Indueras,* Messalla una cum Octaviano consul fuit a 31. a. Chr. n. Hoc loco agitur de eo magistratum ineunte. — *Tyrio subtegmine vestem,* intellege togam prætextam, quam novi consules induere solebant Kalendis Ianuariis. *Tyrium subtegmen* hoc loco significat limbum purpureum togæ. — *die duce fertilis anni,* Kalendis Ianuariis. — *fertilis anni,* nam bona omina infra vss. 123. sqq. enumerata spondent fertilem annum futurum. Cf. Tib. II. 5, 81—82. de sacrificio die inaugurationis Messalini quindecimviri Apollini oblato: «Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis, Omine quo felix et sacer annus erit».

V. 123—129. *Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis,* splendidus solis ortus bonum omen erat antiquis; cf. supra adn. ad Lygd. VI. 8: «Fulserit hic niveis Delius alitibus». Similiter optat Prop. III. 10, 5. die natali Cynthiæ: «Transeat hic sine nube dies». — *liquidis . . .*

undis, sc. Oceani. — *Et fera discordes,* etc., tota natura silere et tamquam ore favere novo consuli vota facienti videtur. Poeta vss. 124—129. ante oculos habuit Aristoph. Thesm. 43: ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθήρ, κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω γλαυκόν . . . πτηνῶν τε γένη κατακοιμάσθω, θηρῶν τ' ἀγρίων πόδες ὑλοδρόμων μὴ λυέσθων. Similiter optat Prop. III. 10, 5—10. die natali Cynthiæ: «stent aere venti, Ponat et in sicco molliter unda minax . . . Alcyonum positis requiescant ora querelis, Increpet absumptum nec sua mater Ityn». — *Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,* poeta imitatur Verg. Ecl. 8, 4: «Et mutata suos requierunt flumina cursus». Cf. Calpurn. Ecl. 2, 15: «Et tenuere suos properantia flumina cursus» et Ciris vs. 233: «rapidos etiam requiescunt flumina cursus». — *Curva . . . flumina,* sinuosa, ut Verg. Ge. II. 11—12: «flumina late Curva terent». — *assuetos egerunt . . . cursus,* solito lenius fluebant; cf. Ov. Am. III. 6, 95: «lutulentus agis brumali tempore cursus». — *Ulla nec* etc., intellege: nulla est in terris volucris nullaque quadrupes, quæ non eo die siluerit. — *quadrupes . . . aspera,* fera. — *Quin largita tuis sint muta silentia votis,* novus enim consul Kalendis Ianuariis vota fecit in templo Iovis Capitolini. *Largiri silentium* igitur significat: linguis favere et omnino quiescere, ne sacra turbentur. — *muta silentia,* ut Ov. Met. IV. 433: «Ducit ad infernas per muta silentia sedes» et ibid. VII. 184—185: «Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis Incomitata gradus».

V. 130—134. *Iuppiter ipse . . . adfuit,* descendit in templum suum, ut præsens adesset sacris. — *levi vectus . . . curru,* facili lapsu descendens, in curru equis alatis vecto; cf. Hor. Carm. I. 34, 5—8: «Diespiter . . . per purum tonantes Egit equos volucremque currum». — *per inania,*

per æthera. — *intentaque tuis precibus se præbuit aure,* cf. Hor. Sat. I. 1, 21—22: «neque se fore posthac Tam facilem dicat (sc. Iuppiter), votis ut præbeat aurem». — *adnuit,* ut dii solent preces exaudientes; cf. Tib. II. 2, 8—10. de Genio: «Adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis: En age quid cessas? Adnuit ille: roga». — *additus aris,* impositus, ut Prop. II. 13, 33: «Et sit in exiguo laurus super addita busto». — *Lætior eluxit . . . ignis,* flamma in ara splendide lucens bonum omen erat; cf. Verg. Ge. IV. 383—385: «Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam (i. e. focum), Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit»; Prop. III. 10, 19—20: «Inde coronatas ubi ture piaveris aras, Luxerit et tota flamma secunda domo»; Ov. Pont. IV. 9, 53: «Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara Detque bonum voto lucidus omen apex». — *structos super . . . acervos,* in ara prosiciis et ture cumulata. Cf. Hor. Sat. I. 1, 34—35: «acervo Quem struit».

V. 135—139. *hortante deo,* qui Messallæ bona omina dedit. — *magnis insistere rebus Incipe,* videtur poeta alludere ad bellum cum Antonio gerendum, quod isto anno (31. a. Chr. n.) instabat ad magnas res gerendas occasionem Messallæ daturum. — *vicino . . . Marte,* comminus pugnanda; cf. Tib. I. 1, 3: «Quem labor adsiduus vicino terreat hoste». — *obvia . . . Gallia,* adversa. Gallos revera devicit postea Messalla bello Aquitanico et triumphum egit a. 27. a. Chr. n. — *audax Hispania,* bellicosa, Romanis iam inde a bello Numantino abunde cognita. — *Nec fera* etc., cum Cyrene, Aegyptus et totus Oriens eo tempore Antonio pareret, non sine causa auspicatus est poeta victorias Messallæ una cum Octaviano in iis terris reportandas. — *Theræo tellus obsessa colono,* Cyrene in

Africa, colonia Græca, cuius conditores Batto duce ex insula Thera venerant; cf. Herodot. IV. 147. 153. Versum imitatur Petron. c. 5: «Seu Lacedæmonio tellus habitata colono».

V. 140—146. *Nilus,* cogitandum de Aegypto, sede Antonii et Cleopatræ. — *regia lympha Choaspes,* fluvius Persidis Susa præterfluens, cuius aquam reges Persarum et postea Parthorum bibebant; cf. Herodot. I. 188. et Plin. N. H. III. 31: «Parthorum reges ex Choaspe tantum bibunt et eæ aquæ quamvis in longinqua comitantur illos». — *rapidus, Cyri dementia, Gyndes,* cf. Herod. I. 189: ἐπείτε δὲ ὁ Κῦρος πορευόμενος ἐπὶ τὴν Βαβυλῶνα ἐγίνετο ἐπὶ Γύνδῃ ποταμῷ, τοῦ αἱ μὲν πηγαὶ ἐν Ματιηνοῖσι οὔρεσι, ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν . . . τοῦτον δὴ τὸν Γύνδην ποταμὸν ὡς διαβαίνειν ἐπειρᾶτο ὁ Κῦρος ἐόντα νηυσιπέρητον, ἐνθαῦτά οἱ τῶν τις ἱρῶν ἵππων τῶν λευκῶν ὑπ' ὕβριος ἐσβὰς ἐς τὸν ποταμὸν διαβαίνειν ἐπειρᾶτο, ὁ δέ μιν συμψήσας ὑποβρύχιον οἰχώκεε φέρων. Κάρτα τε δὴ ἐχαλέπαινε τῷ ποταμῷ ὁ Κῦρος τοῦτο ὑβρίσαντι καί οἱ ἐπηπείλησε οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν, ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκες μιν εὐπετέως, τὸ γόνυ οὐ βρέχουσας, διαβήσεσθαι. Μετὰ δὲ τὴν ἀπειλὴν μετεὶς τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνα στράτευσιν διαίρεε τὴν στρατιὴν δίχα, διελὼν δὲ κατέτεινε σχοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀγδώκοντα καὶ ἑκατὸν παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ Γυνδέω τετραμμένας πάντα τρόπον, διατάξας δὲ τὸν στρατὸν ὀρύσσειν ἐκέλευε. Οἷα δὲ ὁμίλου πολλοῦ ἐργαζομένου ἤνύετο μὲν τὸ ἔργον, ὅμως μέντοι τὴν θερείην πᾶσαν αὐτοῦ ταύτῃ διέτριψαν ἐργαζόμενοι. Idem narrat Senec. De ira III. 21. — *rapidus,* olim rapidus. — *Cyri dementia,* cf. Senec. De ira III. 21. de Cyro Gynden exsiccante: «Periit itaque et tempus, magna in magnis rebus iactura, et militum ardor, quem inutilis labor fregit, et occasio adgrediendi imparatos, dum

ille bellum indictum hosti cum flumine gerit. Hic *furor*, quid enim aliud voces?» — *Aret,* Cyrus enim alveum fluvii siccum fecit; cf. Senec. De ira III. 21: «Huc deinde omnem transtulit belli apparatum et tamdiu adsedit operi, donec C et LXXX cuniculis divisum alveum in CCC et LX rivos dispergeret et *siccum* relinqueret in diversum fluentibus aquis». Ceterum *aret* est coniectura Lachmanni; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *Chaldæis . . . campis,* Babyloniis; Gyndes enim Babyloniam perfluit. Ceterum *Chaldæis* scripsi ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *ante unda parum hospita,* antea fluvius non pervius; poeta imitatur Verg. Ge. III. 361—362. de fluvio frigore astricto: «*Undaque* iam tergo ferratos sustinet orbes, Puppibus illa prius, patulis nunc *hospita* plaustris». Cf. Senec. De ira III. 21: «(Cyrus) Gynden late fusum amnem vado transire temptavit, quod vix tutum est, etiam cum sensit æstatem et ad minimum deductus est». — *ante,* scripsi ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *parum,* scripsi ex coniectura Heynii; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *hospita,* de fluvio, ut Prop. I. 20, 10: «ubicumque vago fluminis hospitio». — *Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,* Tomyris fuit Massagetarum regina, quæ regni finem Araxen fecit. Cyrus cum ea belligerans et ultra Araxen progressus occisus est. Cf. Herodot. I. 205. sqq. — *Impia vel sævis celebrans convivia mensis . . . Padæus,* i. e. vel qua Padæus arva tenet; vss. 143—144. *nec qua* — *vel* eodem modo iunguntur, quo vss. 140—141. *nec qua* — *aut.* Padæi, populus Indiæ orientalis, ægrotos senesque occidere et carne eorem vesci solebant secundum Herod. III. 99. — *Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus,* poeta respexit Catull. 11, 2—4: «Sive in extremos penetrabit Indos, Litus ut longe reso-

nante eoa Tunditur unda». — *Ultima,* in ultimis orbis terrarum regionibus sita. — *vicinus Phœbo,* in extremo Oriente situs. Nigrum Indorum colorem viciniæ solis tribuebant antiqui; cf. Tib. IV. 2, 19—20: «Et quascumque niger rubro de litore gemnas Proximus eois colligit Indus aquis» et II. 3, 55—56: «comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis». — *Hebrus . . . Getas rigat,* Getæ sive Daci teste Dion. Cass. I. 22. non solum in Dacia, sed etiam cis Istrum habitabant usque ad Hæmum, unde Hebrus oritur; cf. Verg. Ge. IV. 463: «Atque Getæ atque Hebrus», Senec. Herc. Oet. 1044: «Geten Hebrum». — *Tanaisque,* fluvius hodie *Don* appellatus. — *Magynos,* nomen populi, quod alibi nusquam occurrit; corruptum videtur. Scribendum fortasse *Mosynos,* quod codices quidam deteriores exhibent; nam Mosyni, accolæ Ponti Euxini, commemorantur apud Curt. Ruf. VI. 4, 17. et Pomp. Mel. I. 19. Hesychius s. v. Μόσσυνες interpretatur: ἔθνος Σκυθικόν. Voluit fortasse auctor Panegyrici hoc nomine Scythas significare universos.

V. 147—152. *Oceanus ponto qua continet orbem,* vaticinatur Messallam usque ad Oceanum omnes gentes devicturum. Poeta imitatur Catull. 64, 30: «Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem». — *invictus Romano Marte Britannus,* poeta ante oculos habuisse videtur Hor. Epod. 7, 7—8: «Intactus aut Britannus ut descenderet Sacra catenatus via». Britanni usque ad tempora Claudii imperatoris liberi manserunt iugo Romano. — *infra vecto mundi pars altera sole,* altera zona temperata (i. e. meridionalis). — *infra vecto . . sole,* sol enim apud antipodes nostros infra nos vehitur curru; cf. supra vs. 66: «Seu supra terras Phœbus seu curreret infra» et adn. ad h. l. — *infra vecto,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad

h. l. — *circumfuso consistit in aere tellus,* tellus est undique aere cincta; locum imitatur Ov. Met. I. 12: «Nec circumfuso pendebat in aere tellus». Cf. etiam Ov. Fast. VI. 269—270: «Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa, Aëre subiecto tam grave pendet onus»; Lucret. II. 602—603: «Aëris in spatio magnam pendere docentes Tellurem». — *quinque in partes toto disponitur orbe,* agitur de quinque orbis terrarum zonis; cf. de iisdem Verg. Ge. I. 231—239., quem locum poeta ante oculos habuisse videtur, et Ov. Met. I. 45—51. — *toto . . . orbe,* per totum orbem suum, i. e. totus orbis terræ divisus est in quinque zonas; cf. Verg. Ge. I. 231—233., ubi de zonis cæli agitur: «certis dimensum partibus orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. Quinque tenent cælum zonæ».

V. 153—157. *Atque duæ gelido vastantur frigore semper,* duæ zonæ frigidæ. — *vastantur,* ut desertæ sint. — *Illic et densa tellus absconditur umbra,* cf. Verg. Ge. III. 357. de zona frigida: «Tum Sol pallentes haud umquam discutit umbras». — *nulla incepto perlabitur unda liquore,* flumina incipiunt labi, sed non perlabuntur; poeta ante oculos habuit Lucret. V. 391: «(prius) quam liquor incepti possit contingere finem». — *incepto . . . liquore,* cœpto cursu. — *Sed durata riget densam in glaciemque nivemque,* cf. Verg. Ge. I. 236. de zonis frigidis: «glacie concretæ atque imbribus atris» et Hor. Carm. III. 24, 39: «Durat æque solo nives». — *durata . . . in glaciem,* ut Plin. N. H. XII. 19: «guttæ durabantur in grana». — *Quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus,* cf. Verg. Ge. III. 357—359. de zona frigida: «Tum Sol pallentes haud umquam discutit umbras, Nec cum invectus equis altum petit æthera, nec cum Præcipitem

Oceani rubro lavit æquore currum». — *Titan,* cf. adn. supra ad vs. 51: «Titan». — *super,* adverbium. — *egerit ortus,* adduxerit ortus suos; cf. Verg. Aen. IV. 118: «ubi primum crastinus ortus Extulerit Titan».

V. 158—164. *At media est Phœbi semper subiecta calori,* zona torrida; cf. Verg. Ge. I. 233—234: «quarum una corusco Semper sole rubens et torrida semper ab igni». — *propior terris æstivum fertur in orbem,* propior zonæ nostræ vehitur in ea parte cæli, ubi æstate versari solet. — *æstivum . . . orbem,* cælum, ut Tib. I. 2, 50: «æstivo convocat orbe nives». Cf. adn. supra ad vs. 50: «per orbem». — *hibernas properat decurrere luces,* hibernos dies finire properat; sunt enim hieme dies breves. Cf. Verg. Ge. II. 480—481: «Quid tantum Oceano properant se tinguere soles Hiberni?» — *presso . . . aratro,* impresso, ut Verg. Ge. II. 356: «presso exercere solum sub vomere», Ov. Met. III. 104: «presso sulcum patefecit aratro» et Lucret. V. 209: «terram pressis proscindere aratris». — *tellus exsurgit,* inter sulcos enim attollitur humus; cf. Verg. Ge. I. 97—98: «Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso perrumpit aratro». — *colit arva deus,* cf. Hor. Carm. IV. 5, 18: «Nutrit rura Ceres». — *Bacchusve Ceresve,* vinum et frumentum non crescit. — *Nulla nec,* negationum cumulatio, ut Prop. II. 19, 5—6: «Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras, Nec tibi clamatæ somnus amarus erit» et III. 13, 23: «hic nulla puella Nec fida Euadne nec pia Penelope».

V. 165—170. *Fertilis hanc inter posita est interque rigentes Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,* cf. Verg. Ge. I. 237—238: «Has inter (sc. inter zonas frigidas) mediamque duæ (sc. zonæ) mortalibus

ægris Munere concessæ divum». — *similis* . . . *vicinia cœli,* utraque zona temperata hinc frigidæ, hinc torridæ vicina est. — *tenens,* ambiens, amplectens. — *Temperat, alter et alterius vires necat aer,* cf. Ov. Met. I. 51. de zona temperata: «Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma». — *alter et alterius,* frigidus aer debilitat vires torridi et invicem. — *necat,* debilitat, tollit. — *per tempora,* intellege quattuor anni tempora; cf. adn. supra ad vs. 51: «fertilibus . . . horis». — *colla iugo didicit submittere taurus,* cf. Ov. Am. III. 10, 13. de Cerere: «Prima iugis tauros supponere colla coegit».

V. 171—176. *lenta* . . . *vitis,* flexilis. — *excelsos* . . . *conscendere ramos,* ulmis aut populis maritata, ut in Italia mos est; cf. Verg. Ge. I. 2: «ulmisque adiungere vites» et Hor. Epod. 2, 9—10: «adulta vitium propagine Altas maritat populos». — *Tondeturque seges maturos annua partus,* ut Verg. Ge. I. 289—290: «arida prata Tondentur». Locum ante oculos habuit Tib. II. 1, 48: «Deponit flavas annua terra comas». — *Et ferro tellus, pontus proscinditur ære,* i. e. homines arant et navigant; poeta ante oculos habuit Lucret. V. 209: «terram pressis proscindere aratris» et ibid. 1295: «Et ferro cœpere solum proscindere terræ» et de nave Catull. 64, 12: «Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor»; præterea Verg. Ge. II. 237: «validis terram proscinde iuvencis» et ibid. I. 97—98: «proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso perrumpit aratro» et ibid. I. 50: «At prius ignotum ferro quam scindimus æquor» i. e. aramus. — *proscinditur,* ex mea coniectura; cf. infra adn. crit. ad h. l. et Ov. Her. 17, 141: «proscindere litus aratro» et Met. VII. 119: «ferro proscindere campum» et Varr. R. R. I. 29: «terram cum primum arant, proscin-

dere appellant». — *ære,* prora ærata, rostro ærato. — *per claros ierint tua facta triumphos,* cum triumphum ages et imagines victoriarum tuarum in pompa portabuntur. Cf. Tac. Ann. II. 41. de triumpho: «vecta spolia captivi *simulacra* montium fluminum *prœliorum*»; Prop. III. 4, 17. in triumpho Augusti spectare vult: «Tela fugacis equi et bracati militis arcus» i. e. imagines pugnarum cum Parthis commissarum; Ov. Pont. II. 1, 39. de triumpho Germanici: «Fluminaque et montes et in altis *prœlia* silvis» sc. portantur». — *per claros,* ex coniectura Scaligeri; cf. infra adn. crit. ad h. l. — *utroque . . . in orbe,* in utraque zona temperata orbis terrarum.

V. 177—182. *Non ego sum satis,* non mihi sufficiunt vires. — *mihi . . . si præscribat carmina Phœbus,* cf. Prop. IV. 1, 133—134: «Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo Et vetat insano verba tonare foro». — *magnis se accingere rebus,* cf. Verg. Ge. III. 46—47: «Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas Cæsaris». — *Valgius,* C. Valgius Rufus, Horatii amicus (cf. Hor. Carm. II. 9. et Sat. I. 10, 82.), a. 12. a. Chr. n. consul, scriptor elegiarum et epigrammatum. Hoc loco poeta cum Homero eum comparat, sed nobis de epicis eius carminibus nihil notum. — *æterno . . . Homero,* ut Ov. Pont. II. 10, 13. ad Macrum: «Tu canis, æterno quidquid restabat Homero». — *propior non alter Homero,* auxesis, ut Prop. I. 7, 1—3: «Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ Armaque fraternæ tristia militiæ, Atque, ita sim felix, primo contendis Homero». — *Languida non noster peragit labor otia,* sententia sine coniunctione non cohæret apte cum præcedentibus. An excidit versus? — *fatiget, vexet.*

V. 183—189. *Nam mihi* etc., videtur poeta, ut Vergi-

lius, Horatius et Propertius, in distributione agrorum inter veteranos a triumviris anno 41. a. Chr. n. facta maximam partem patrimonii amisisse. Tibullum non fuisse in eadem calamitate docuimus p. 136. edit. nostr. Cf. Prop. IV. 1, 129—130. de se: «Nam tua cum multi versarent rura iuvenci, Abstulit excultas pertica tristis opes». — *domus alta,* magnifica. — *niteret,* divitiis splenderet, ut Hor. Sat. II. 5, 12: «res ubi magna nitet domino sene». — *Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci Horrea fecundas ad deficientia messis,* i. e. cui fuerunt flavæ segetes, quæ ordine (alia post aliam) demessæ ditaverunt horrea ad fecundas messes deficientia; cf. Verg. Ge. II. 518: «Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat». Sed scribendum fortasse: «*flavo* ditantes ordine sulci Horrea», ut *flavus ordo* significet seriem sulcorum frumento maturo flavescentem. — *flavi . . . sulci,* propter frumentum maturum; cf. Verg. Ge. I. 316—317: «cum flavis messorem induceret arvis Agricola». — *Horrea fecundas ad deficientia messis,* quæ capere non potuerunt magnam frumenti copiam; cf. Verg. Ge. I. 19: «Illius immensæ ruperunt horrea messes». — *pecus . . . pascebant,* constructio ad intellectum; *pecus* collective dictum, ut Hor. Sat. I. 3, 109—110: «Cum prorepserunt primis animalia terris, Mutum et turpe pecus». — *pascebant,* depascebant, ut Verg. Ge. IV. 538—539: «tauros, qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi». — *Et domino satis et nimium furique lupoque,* locum respicere videtur Tib. I. 1, 33—34: «At vos exiguo pecori, furesque lupique, Parcite: de magno est præda petenda grege«. — *Cum memor ante actos semper dolor admonet annos,* cf. Prop. I. 18, 13: «Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet». — *admonet annos,* rarior constructio: cum accusativo certæ rei pro genitivo.

V. 190—196. *asperiora cadant,* accidant. — *spolierque relictis,* non totum igitur patrimonium amisit; cf. Prop. II. 34, 55—56: «Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est». — *Non . . . deficient,* non desinent; cf. Prop. I. 8, 23: «Nec me deficiet nautas rogitare citatos». — *Pierii . . . honores,* carmen honorificum; cf. adn. supra ad Lygd. I. 16: «Pieriosque lacus». — *Pro te vel rapidas* etc., cf. Prop. I. 6, 1—4. ad Tullum: «Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum, Tulle, neque Aegæo ducere vela salo, Cum quo Riphæos possim conscendere montes Ulteriusque domos vadere Memnonias». — *subsistere turmis,* obsistere, ut Liv. XXVII. 7: «Italiam vix Hannibali atque eius armis subsistentem». — *pronum Aetnææ corpus committere flammæ,* præcipitem se deicere in κρατῆρας Aetnæ, ut olim Empedocles fecit, de quo Diog. Laert. VIII. 2, 69: αὐτὸν ὡδευκέναι ὡς ἐπὶ τὴν Αἴτνην, εἶτα παραγενόμενον ἐπὶ τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἐναλέσθαι; Hor. A. P. 465—466: «Empedocles ardentem frigidus Aetnam Insiluit«. — *pronum,* ex coniectura Burmanni; cf. infra adn. crit. ad h. l. et Ov. Met. XI. 791—792: «furit Aesacus inque profundum Pronus abit».

V. 197—203. *nostri si parvula cura Sit tibi,* cf. Lygd. I. 19: «si nostri mutua cura est». — *regna Lydia,* Crœsi divitiæ; cf. supra Lygd. III. 29: «Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis» et adn. exeg. ad h. l. — *fama Gylippi,* dux Lacedæmonius, qui in bello Peloponnesiaco Athenienses Syracusas obsidentes devicit. Cf. Thucyd. VI. et VII. — *Meleteas . . . chartas,* carmina Homeri Smyrnæi; Meles enim est fluvius Smyrnam alluens. Cf. Ciris vs. 62: «neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ». — *versus noster,* carmen hoc meum. — *summo vel inerret in ore,* i. e. minus sit notus: si summis tantum labris Messalla

eum attingit, ut poculum, quod nolumus totum ebibere; cf. Verg. Aen. I. 736—737. de Didone bibente: «in mensam laticum libavit honorem Primaque libato summo tenus attigit ore»; Cic. De or. I. 78: «philosophiæ studia ne primoribus quidem labris attigisse». — *inerret in ore,* cf. Ciris 357: «Virginis insolito sermo novus errat in ore».

V. 204—211. *tumulus contexerit ossa,* cf. Ov. Pont. I. 2, 60: «Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum». — *matura dies,* præmatura dies mortis. — *celerem properat mihi mortem,* ut Prop. II. 28, 25: «Quod si forte tibi properassent fata quietem». — *mutata figura,* alludit ad metempsychosin Pythagoream. — *rigidos . . . campos,* duros, quibus opponitur vs. 209: «per *liquidum* æthera»; poeta imitatur Catull. 63, 40: «Lustravit æthera altum, *sola dura,* mare ferum». — *tardi pecoris,* boves; cf. Verg. Gen. II. 206: «Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis». — *pecoris . . . gloria taurus,* poeta ante oculos habuit Verg. Ecl. 5, 33—34: «Ut gregibus tauri . . . Tu decus omne tuis»; poetam imitatur Ov. A. A. I. 289—290: «Forte sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ Candidus, armenti gloria, taurus erat». — *hominem . . . receperit,* humanam figuram reddiderit. — *Inceptis de te . . . chartis,* incepto de te operi. — *subtexam carmina,* addam novos versus.

ADNOTATIONES CRITICÆ.

ADNOTATIONES CRITICÆ AD LYGDAMUM.

In verbis Lygdami constituendis secuti sumus optimos Tibulli codices, Ambrosianum et Vaticanum; præterea diligentissime examinavimus lectiones fragmenti Cuiaciani, florilegii Parisini et excerptorum Frisingensium. In adnotationibus exscripsimus locos omnes, ubi ab Ambrosiano discedendum putavimus.

Notis codicum usi sumus hisce:

A = codex Ambrosianus R. 26. sup. sæculo XIV. exeunte scriptus.

V = codex Vaticanus 3270. ab aliis sæculo XIV. exeunti, ab aliis XV. ineunti assignatus.

F = fragmentum codicis vetusti, olim in possessione Iacobi Cuiacii, nunc deperditum, cuius lectiones Scaliger transtulit in exemplar editionis Plantinianæ (a. 1569.), quod nunc in bibliotheca Leidensi inter libros Lipsianos (n. 59.) servatur.

P = florilegium Parisinum, quod in duobus codicibus Parisinis, 7647. (sæc. XII/XIII.) et 17903. (sæc. XIII.) exstat.

M = excerpta Frisingensia in codice olim Frisingensi, nunc Monacensi 6292. sæc. XI.

G = codex Guelferbytanus sæc. XV.

D = codices deteriores.

I.

8. *tuis:* coniecit Muretus; *meis:* codices. Recipiendam esse Mureti coniecturam docet infra vs. 12., ubi legitur: «Indicet ut nomen littera facta *tuum*». Pro *tuis* certe scripserunt *meis* librarii, qui non animadverterunt inde a vs. 7. non poetam ipsum, sed Musas loqui. Ceterum vss. 7—14. Musis esse tribuendas elucet etiam ex vs. 15., ubi poeta Musas ita alloquitur: «auctores huius mihi carminis»; dicit igitur Musas ipsas sibi suasisse, ut versus suos Neæræ dedicaret et mitteret; cf. supra adn. exeg. ad h. l. — 10. *pumex cui:* coniecit Huschke; *pumex et:* D; *pumicet et:* A. Recepimus Huschkii coniecturam, quia hoc versu coniunctio *et* non habet aptum locum propter sequens *ante;* poeta fortasse ante oculos habuit Tib. II. 1, 78: «Explorat cæcas *cui* manus *ante* vias». — 11. *prætexat:* G; *protexit:* A. *charta:* emendavit Becker; *chartæ:* codices. Probanda est Beckeri coniectura, quia ita apte restituitur subiectum sententiæ; charta autem significat hoc loco schedulam superiori oræ libri adfixam, quæ vulgo titulus vocatur. — 12. *rubra:* ego conieci; *facta:* codices. Cum agatur de ornamentis et variis coloribus (*lutea, niveum* vs. 9., *canas* vs. 10., «nullus defluat inde *color*» vs. 18.) libri, non potest deesse tituli rubro colore picti mentio; cf. Martial. III. 2, 8—9. et 11: «Et *frontis gemino* decens honore *Pictis* luxurieris umbilicis . . . Et cocco *rubeat* superbus index», ubi aperte imitatur Lygd. I. 12—13. Corruptela *facta* orta esse videtur ex præcedente (vs. 11.) *fastigia* ita, ut pro *rubra* scriptum sit *fabra,* quo non intellecto librarii facile potuerunt conicere: *facta.* — 15. *per vos:* G; *parvos:* A. — 16. *umbram:* G; *umbrosam:* A. — 21. *meritam:* G; *meritum:* A. — 26. *sibi:* G; *tibi:* A.

II.

7. *est:* G; omisit A. — 10. *super:* G; *supra:* A. — 15. *precatæ:* G; *rogatæ:* V; *rogate:* A. In AV glossema occupavit genuinæ lectionis locum. — 18. *legant:* D; *legent:* A. Nullus hic futuri locus, cum agatur de optatis poetæ cumque præcedant (*veniat* vs. 11. et 13., *mæreat* vs. 14.) et sequantur (*parent* vs. 20., *fundantur* vs. 25., *demonstret* vs. 27., *notet* vs. 28.) coniunctivi. — 19. *spargant:* D; *spargent:* A. Eadem de causa. — 21. *velis:* G; *ventis:* A. — 23. *illuc:* coniecit Baehrens; *illic:* codices. Recepimus Baehrensii coniecturam, quia agitur de odoribus in *urnam* fundendis; cf. infra vs. 25: «fundantur eodem». — 24. *pinguis:* D; *dives:* A. In A glossema occupavit genuinæ lectionis locum. — 29. *cura Neæræ:* D; *cā neera:* A.

III.

7. *sociarem:* G; *sociarent:* A. — 14. *Caryste:* D; *thariste:* A. — 17. *legitur quæ:* P; *legiturque in:* A. — 20. *invidia est:* P; *invida quæ:* V; *invida q:* A. — 22. *regit:* P; *gerit:* AM. — 24. *at:* G; *et:* A. — 28. *aversa:* D; *adversa:* A. — 38. *Ditis:* D; *dives:* A. Præferendam esse codicum deteriorum lectionem docemur epyllii Culicis vss. 372—374: «ego *Ditis opacos* Cogor adire locus viduos, a, lumine Phœbi, Et *vastum* Phlegethonta pati», ubi ignotus auctor imitatur Lygd. III. 37—38: «Me vocet in *vastos* omnes *nigramque* paludem *Ditis*».

IV.

4. *nobis:* emendavit Guyetus; *votis:* A. — 9. *in curas:* D; *maturas:* A. — 12. *solent:* emendavit Postgate; *volent:* codices. Recipienda est Postgatii coniectura, quia nullus hic futuro locus neque *volent* cum *vera moneri* (vs. 11.) apte iungi potest. — 17. *emensa:* D; *emersa:* A. — 21. *summa Phœbus prospexit ab Oeta:* emendavit Markland; *summo Phœbus prospexit ab ortu:* codices. Quid hoc loco *summus ortus* sibi velit, nemo huc usque explicare potuit; recipiendam esse Marklandii coniecturam docent loci paralleli supra in adn. exeg. allati et maxime Senec. Herc. Fur. 132—133., ubi Lygdamum imitatur: «Iam cæruleis evectus aquis Titan summa prospicit Oeta».— 26. *heroum nec tulit ulla domus:* emendavit Lachmann; *humanum nec videt illud opus:* AV. Recipiendam esse Lachmanni emendationem docet Prop. I. 4, 5—8. supra in adn. exeg. laud.; ad locutionem *tulit domus* cf. infra vss. 90. et 92: «Nec te conceptam sæva leæna *tulit* ... Sed culta et duris non habitanda *domus*». — 28. *myrrhea:* G; idem coniecit Cyllenius; *myrtea:* codices. Codicum lectio probari non potest, nam, si ad colorem capillorum referas, nigram significet comam, quod Apollini χρυσοκόμῃ non convenit; cf. Longi Pastor. I. p. 22. ed. Schæf. (de iuvene pulchro): καὶ ἡ μὲν εἴκασεν αὐτοῦ τὴν κόμην, ὅτι μέλαινα, μύρτοις; sin autem explices: myrto coronata, contradictio non ferenda oriatur propter vs. 23: «Hic iuvenis casta redimitus tempora *lauro*». Optimam esse Cyllenii coniecturam docent loci paralleli supra in adn. exeg. allati. — 42. *dulci tristia:* D; *tristi dulcia:* A. — 47. *evique* (i. e. ævique): A; *cuique:* V. — 50. *quodque:* G; *quidque:* A; *feram:* emendavit Broukhusius; *ferat:* A.

Probanda est Broukhusii emendatio, quia futurum indicativi postulat sententia, non coniunctivum. — 59. *tuis:* coniecit Lipsius; *suas:* codices. Probandam esse Lipsii coniecturam docemur infra vs. 83: «Nec tibi crediderim *votis* contraria *vota*». Origo corruptelæ: primum propter præcedens *diversasque* scriptum est *tuas*, quod cum sensu careret, librarii postea emendaverunt *suas*. — 60. *Neæra:* G; *nerea:* A. — 65. versum habet F, omisit A. — 80. *hoc:* F; *ac:* A. — 87. *canis anguinea:* G; *consanguinea:* A. — 89. *succincta:* F; *submixta:* A. — 96. *irrita:* D; *impia:* A.

V.

1. *Vos:* D; *os:* V; *nos:* A. — 3. *proxima:* emendavit Scioppius; *maxima:* A. Proxima, sc. bonitate, dignitate et præstantia, ut Cic. ad Att. II. 6: «proxima est illi municipio hæc Antiatium civitas»; Ov. Met. II. 398: «Pectoraque artificum laudatis proxima signis». — 7. *virorum:* D; *deorum:* A. — 10. *trita:* F; *certa:* A. — 11. *sacrilegos:* G; *sacrilegi:* D; *sacrilegis:* A. *admovimus ignes:* D; *amovimus egros:* A. — 13. *meditantes:* D; *meditantis:* A. — 27. *nequicquam:* D; *nec quicquam:* AV. — 27. *At:* G; *atque:* A (*que* comp.) *vobis:* D; *nobis:* A.

VI.

1. *vitis:* G; *victis:* A. — 3. *patera medicante:* coniecit Waardenburg; *pariter medicande:* D; *pariter medicando:* A. Poeta ante oculos habuit Prop. III. 17, 3—4. ad Bacchum: «Tu potes insanæ Veneris compescere fastus Curarumque tuo fit *medicina* mero». — 4. *Amor:* scripsi; *amor:* editiones. Certe *cecidit victus* aptius refertur ad

deum, quam ad affectum animi; ceterum etiam Prop. l. l. de Baccho deam Venerem (non: venerem) vincente loquitur. — 8. *fulxerit:* G; *pulserit:* A. — 13. *mites:* D; *dites:* A. Præferenda est codicum deteriorum lectio, quia non de Baccho, sed, ut vs. 17. docemur, de Amore agitur. — 15. *Armenias:* G; *Armenas:* A. — 17. *valet:* D; *volet:* A. — 21. *Convenit:* emendavit Lachmann; *non venit:* A. *severos:* emendavit Lachmann; *severus:* A. — 23. *qualis quantusque:* F; *deus hic quantusque:* A. — 33. *hei:* D; *et:* M; *i:* V; *si:* A. — 44. *cavere:* MFP; *carere:* A. *tuos:* F; *suum:* P; *tuum:* D; *tuo:* AM. — 46. *subdola:* emendavit Heinsius; *sordida:* AP. Codicum lectio sensu caret; cf. Ov. A. A. I. 598. de ebrietate simulata: «Fac titubet blæso subdola lingua sono». *prece:* P; *fide:* A. — 51. *quid:* D; *qui:* A. — 62. *i:* F; *et* (comp.) A. — 63. *Syrio:* D; *Tyrio:* A.

ADNOTATIONES CRITICÆ AD PANEGYRICUM.

In verbis Panegyrici constituendis secuti sumus imprimis lectiones fragmenti Cuiaciani. In adnotationibus exscripsimus locos omnes, ubi ab Ambrosiano discedendum putavimus.

1. *tua:* G; *mea:* A. — 2. *ne:* coniecit Voss; *ut:* libri. *nequeant:* F; *valeant:* A. Recepimus Vossii coniecturam, quia sententia cum *terret* iungenda videtur; nam, si eum a præcedentibus secernas et coniunctioni *ut* vim concessivam tribuens sequentibus (*Incipiam tamen* etc.) adicias, non cohæreat apte oratio. — 10. *puro:* D; *pura:* A. — 13. *tectis:* D; *terris:* A. — 14. *placavit:* D; *pacavit:* A. — 18. *dicat:* V (et A man. sec.); *dictat:* AF. — 21. *Ut:* coniecit Heinsius; *et:* A. — 22. *Hunc:* conieci; *hinc:* A. *complexus:* ego conieci; *contextus:* codices. Aether, elementum simplicissimum et purissimum, non est aeri contextus i. e. mixtus. Cf. Ov. Met. I. 67—68: «Hæc super (i. e. super loca aeris) imposuit liquidum et gravitate carentem Aethera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem . . . ita limitibus dissæpserat omnia certis»; Lucret. V. 500—503: «liquidissimus æther Atque levissimus aerias super influit auras, Nec liquidum corpus turbantibus aeris auris commiscet». Sed complectitur i. e. circumdat æther aera;

totus enim mundus habet formam orbis: in medio est tellus aere circumfuso inclusus, aer undique cingitur æthere, omnia autem clauduntur orbe cæli. Ceterum cf. supra adn. exeg. ad h. l. et Ov. Fast. I. 109—110: «Flamma petit altum, propior locus aera cepit, Sederunt medio terra fretumque solo». — 24. *at:* G; *et:* A. — 25. *sed quod spes abnuit ultro:* emendavit Vulpius; *seu quod spes abnuit ultra:* codices, quod absurdum; nam poeta, qui Messallam tantopere laudat, non potuit dicere se factis Messallæ magnificentius carmen scripturum. — 27. *nomine:* G, idem scripsit Heyne; *carmine:* libri. Agitur de carmine dedicando, cui præscribendum est nomen Messallæ; poeta ante oculos habuit Verg. Ecl. 6, 11—12: «nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen». — 30. *quid quaque index:* F; *quid quẽ iudex:* A. — 37. *potior:* D; *potius:* A. — 39. *nam quis te:* F; *nam quique tibi:* A. *castrisve:* P; *cartis ne:* A. — 40. *hic aut hic tibi:* F; *hic aut tibi:* A. — 55. *nec:* D; *non:* A. *lothos:* F; *cyclops:* A. *cæptos:* D; *captos:* F; *tempus* (comp.) A. *avertere:* D; *vertere:* A, sed ante *vertere* unius litteræ spatium vacuum relictum est. — 60. *Artacie:* D; *artacre:* A. — 68. *umbris:* D; *undis:* A. — 70. *inter geminæ:* F; *termine:* A. — 71. *ore:* F; *orbe:* A. — 72. *fera:* D; *freta:* A. — 73. *more:* D; *in ore:* A. — 78. *erroris:* F; *errorum:* A. — 82. *iam:* D; *nam:* AP. — 84. *cervos:* D; *nervos:* P; *vernos:* A. — 87. *ut:* P; *et:* A. — 88. *et:* A; *ut:* P. — 91. *aut:* P; *et:* A. *celeremque*. V; *celeremve:* AP. — 94. *decurrere:* coniecit Dissen; *contendere:* AP, quod ex vs. præcedente irrepsit. Cf. locos parallelos supra in adn. exeg. allatos. — 96. *veniat gravis:* PF; *grandis venit:* A. — 97. *aptior:* emendavit Francken; *amplior:* APF.

Hoc loco *aptior* iungendum est cum *tangere* et idem fere significat, quod supra vs. 82: «Iam te non alius belli tenet *aptius* artes». — 98. *veniant:* P; *venient:* A. — 102. *ut:* PF; *in:* A. — 103. *seiunctim:* emendavit Salmasius; *seu iunctum:* A. — 104. *dexter uti:* PF; *dexteraque ut:* A. — 110. *Arupinis:* F; *et arpinis:* A. *arvis:* D; *armis:* A. — 112*a*. *tempora:* emendavit Voss; *secula:* A, quod ex versu præcedente irrepsit. *vitæ:* D; *famæ:* A, quod irrepsit eodem modo. — 113. *renovaverit:* D; *renoverat:* A. — 116. *domator:* libri. Est fortasse glossema ad *moderator* (vs. 125.) pertinens, quod hoc loco genuinam lectionem extrusit. Baehrens scribendum censet *Salassus;* Messalla enim Salassos, gentem Alpinam, quæ vallem Aostæ hodie dictam incoluit, devicit a. 34. a. Chr. n., ut Appian. Illyr. 17. et Strab. IV. p. 205. docemur. Hæc fuit victoria Messallæ eo usque maxima, quam auctor Panegyrici vix potuit omittere. — 129. *sint:* D; *sunt:* A. *muta:* D; *multa:* A. — 136. *non:* D; *nunc:* A. *sint:* D; *sunt:* A. — 139. *Theræo:* D; *tetereo:* A. — 140. *Choaspes:* D; *dyaspes:* A. — 141. *Gyndes:* D; *cydnus:* A. — 142. *Aret:* emendavit Lachmann, *Chaldæis:* ego conieci; *ardet Arectais:* F; *creteis ardet:* A. Hoc loco lectio Cuiaciani est monstrum vocis, procul dubio corruptum, ortum fortasse ex dittographia propter præcedens *aret;* lectio Ambrosiani *creteis* ansam dedit emendandi. Ceterum cf. supra adn. exeg. ad h. l.; *ante:* emendavi; *aut:* AF. *parum hospita:* emendavit Heyne; *perhospita:* F; *caristia:* A. Unice veram esse Heynii emendationem docet Vergilii locus (Ge. III. 361—362.) supra in adn. exeg. ad h. l. allatus, quem auctorem poeta Panegyrici, ut sæpissime, etiam hoc loco ante oculos habuisse videtur. — 143. *Tomyris:* D; *Tamyris:* A. —

144. *vel:* D; *nec:* A. — 146. *Magynos:* F; *maginos:* A. — 150. *infra vecto:* emendavi; *interiecto:* codices, quod corruptum est, nam *sole* nude positum non potest, ut interpretes volunt, torridam zonam inter duas temperatas zonas interiectam significare. Contra *infra vecto* recte significat solem infra terras nostras antipodibus lucentem, ut supra vs. 66: «Seu supra terras Phœbus seu curreret infra». Origo corruptelæ: ex *infravecto* in scriptura minuscula factum est *intraiecto*, unde ex coniectura *interiecto*. — 161. *igitur:* F; *ergo:* A. — 165. *rigentes:* A manu prima; *rigentem:* A manu altera. — 167. *utrimque:* D; *utrique:* A. — 168. *necat:* D; *negat:* A. — 169. *vertitur:* V (et A man. sec.); om. A. — 170. *hinc:* V; *huic:* A. — 173. *proscinditur:* emendavi; *confunditur:* A; *confinditur:* D. Veram esse meam coniecturam docent loci paralleli supra in adn. exeg. allati. Origo corruptelæ: ex *proscinditur* in scriptura minuscula factum est *profunditur*; quo non intellecto librarii ex coniectura scripserunt *confunditur* (i. e. turbatur), unde demum *confinditur* ortum est ex coniectura Italorum, quod verbum nusquam occurrit apud scriptores Latinos. — 174. *exurgunt:* G; *exurgitat:* A. — 175. *per claros:* emendavit Scaliger; *præclaros:* codices; *ierint:* F; *poscent:* A. Unice veram esse coniecturam Scaligeri et fragmenti Cuiaciani lectionem docet interpretatio nostra supra in adn. exeg. Lectio Ambrosiani *poscent* orta videtur ex glossemate verbo *ierint* suprascripto: *portentur.* — 185. *fecundas ad deficientia messis:* F; *fecundis indeficientia mensis:* A. — 189. *ante actos:* F; *accitus:* A; *accitos:* V. — 190. *relictis:* D; *relictus:* A. — 196. *pronum:* emendavit Burmannus Secundus; *parvum:* libri, quod ineptum est. Origo corruptelæ: ex *pronum* in scriptura minuscula

factum est *pravum*, unde ex coniectura *parvum*. — 197. *quodcumque*: D; *quidcumque*: A. — 200. *nec*: G; om. A. *vincere*: F; *mittere*: A. — 203. *statuent*: D; *statuunt*: A. — 204. *mea cum tumulus contexerit*: D; *mea tunc tumulus cum texerit*: A. — 205. *celerem*: F; *fato*: A. — 210. *quandocumque*: F; *in quemcumque*: A.

INDICES VERBORUM.

I. INDEX LYGDAMI.

D.

G.

H.

M.

N.

U. V.

II. INDEX PANEGYRICI.

D.

U. V.

ADDENDA.

ADDENDA.

I.

AD VERG. ECL. IV. 47.[1]

Vergilius in celeberrima ecloga, quæ in Bucolicorum sylloge quartum locum obtinet, oraculorum Sibyllinorum testimonio usus ultimum mensem sive sæculum *magni anni* adesse canit et mox primum mensem novi anni, id est regnum Saturni rediturum vaticinatur. Deinde, ut hunc sæculorum ordinem immutabili fatorum potestate constitutum esse demonstret, Parcas, deas fati, inducit canentes vss. 46—47:

> «Talia sæcla», suis dixerunt, «currite», fusis
> Concordes stabili fatorum *numine* Parcæ.

Primo versu *talia sæcla* accusativus est, *fusis* autem dativus, totaque sententia ita est interpretanda: Parcæ præceperunt suis fusis: «O fusi, talia sæcla percurrite», id est: percurrite magnum mundi annum a primo sæculo sive mense, a regno Saturni usque ad ultimum mensem, regnum Apollinis, deinde reducite iterum primum sæculum sive mensem, auream Saturni ætatem. Quod ad alterum versum attinet, in quarta *Forbigeri* editione[2] has adnotationes legimus:

[1] E tomo XXV. ephemeridis Hungarorum philologicæ, quæ *Egyetemes Philologiai Közlöny* inscribitur.

[2] *Vergilii Maronis Opera.* Ad optimorum librorum fidem edidit, perpetua et aliorum et sua adnotatione illustravit *Albertus Forbiger.* Editio quarta. Lipsiæ, MDCCCLXXII.

«*Fata* sunt *stabilia*, immutabilia, iisque *numen*, h. e. potestas ac voluntas divina tribuitur. *Parcæ concordes fatis*, non tam in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis, ut Heyne explicat, quam potius propter stabilem certamque fati voluntatem, ut causa concordiæ in fatorum stabili numine inesse dicatur.»

Idem fere dicit Germanice Ladewig * in septima Vergilii editione:

«*Stabili fatorum numine* ist als Abl. causæ zu *concordes* hinzugefügt, giebt also den Grund der Eintracht an und drückt zugleich die Gewissheit aus, dass den Worten der Parzen die Erfüllung folgen werde.»

Hac explicandi ratione viri docti, qui Vergilium ediderunt, omnes, quantum scio, usque ad hodiernum diem contenti fuerunt. Quo maior videtur mea audacia, qui nunc clarissimos Eclogarum interpretes meliora docere animum induxi. Cum igitur verendum mihi sit, ne multi nodum me in scirpo quærere dicant, accuratissime explicare debeo, quid sit, quod hoc loco observandum esse putem.

Deæ Parcæ, Græce Μοῖραι, ut inter omnes constat, sunt personificationes mythicæ fati et apud poetas antiquos significant ipsum fatum. Vergilius igitur, cum Parcas, ut interpretes volunt, propter stabilem certamque fati voluntatem concordes esse dicit, *ideam*, quam dicunt, *abstractam* fati *a personificatione* fatorum discernere videtur, quod ab usu poetarum adeo abhorret, ut hanc rem nemini antea scrupulum iniecisse satis mirari non possim. Nam apud poetas *non fata cogunt Parcas concordes esse, sed Parcæ*

* *Vergils Gedichte*, erklärt von *Th. Ladewig*. Siebente Auflage von *Carl Schaper*. Berlin, 1882.

dispensant concorditer fata, Parcæ sunt, ut iam dixi, ipsum fatum ideamque ipsam a personificatione distinguere philosophorum munus est, non poetarum. Adde, quod Vergilius vs. 46., ubi commemorat *fusos,* Parcas inducit *nentes;* ergo cur non absolvit imaginem poeticam vs. 47., ubi more ceterorum poetarum pergere debebat in describenda nendi actione?

Vergilius hoc loco, ut iam Macrobius vidit, ante oculos habebat celeberrimum Catulli epyllion de nuptiis Pelei et Thetidis (carm. LXIV.), ubi Parcæ hæc dicunt fusis suis vss. 326—327:

Sed vos, quæ fata sequuntur,
Currite ducentes *subtegmina,* currite, fusi.

Hoc est: «Vos, fusi, currite et ducite subtegmina, quæ sequuntur fata». Catullo igitur auctore fatum sequitur subtegmina Parcarum et cursus subtegminum fusis ductorum significat ipsum fatum.

Sed quomodo describit Catullus carmine supra laudato ipsas Parcas? Inducit eas nentes, sed non tribuit eis, ut sæpe alii poetæ fecerunt, diversa officia: omnes enim Parcæ apud Catullum eodem funguntur officio, omnes pariter nent stamina fatorum, ut vss. 305—317. docemur:

Cum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora,
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,
Aeternumque manus carpebant rite laborem:
Læva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum;

Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in levi fuerant exstantia filo.

Nos igitur Vergilium etiam vs. 47. Catulli vestigia legisse concordiamque Parcarum non a fatorum numine pendere, sed in eo, quod stamen fatorum pariter neant, spectari suspicamur. Quare pro *numine* censemus tale quid reponendum esse, quod *stamen* sive *filum* significet.

Sed videamus ante omnia eos poetarum Romanorum locos, ubi Parcæ describuntur.

Fatalia stamina Parcis tribuuntur a Tibullo l. I. 7, vs. 1—2:

Hunc cecinere diem Parcæ *fatalia* mentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo.

Fati stamen legitur apud Ovidium Trist. l. V, 13, vs. 24:

Non ita sunt *fati stamina* nigra mei.

Certum subtemen significat fatum immutabile apud Horatium Epod. 13, vs. 22—23:

Unde tibi reditum *certo subtemine* Parcæ
Rupere.

Immobile filum ponitur pro fato immutabili apud Silium Italicum l. VII. vs. 479—480:

At vos, o natæ, currit dum *immobile filum,*
Hadriaci fugite infaustas Sasonis harenas.

Rati stamina fusi ponitur pro stamine æterni fati apud Senecam Oedip. vs. 1001—1003:

Fatis agimur: cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare *rati stamina fusi.*

Fatorum colus legitur apud Statium, Theb. l. VIII. vs. 11—13:

Quin comminus ipsa
Fatorum deprensa *colus* visoque paventes
Augure tunc demum rumpebant stamina Parcæ.

Apud poetas Græcos sæpissime legimus Μοιρῶν λίνα, hoc est: *Fatorum stamina*, ut Anth. Gr. III. 15:

Οὕτως γὰρ Μοιρῶν . . . ἐπέκλωσε λίνα

Anth. Gr. VII. 551:

. . . ξυνὰ δὲ καὶ Μοίρης λαχέτην λίνα

et apud Callimachum in Lavacr. Pall. vs. 104:

. . . Μοιρῶν ὧδ' ἐπένευσε λίνα.

Μοιρῶν κλωστήρ legitur in appendice Anthologiæ Palatinæ. num. 368:

Μοιρῶν γὰρ κλωστῆρι τέλος βιότοιο τέτυκται.

Μοιρῶν νῆμα occurrit in appendice Anthologiæ Palatinæ num. 154:

. . . καὶ Μοιρῶν νῆμ' ἀνέκλωσαν

deinde in Anth. Pal. l. VII. 14, 5:

. . . ὦ τριέλικτον
Μοῖραι δινεῦσαι νῆμα κατ' ἠλακάτας

tum in Anth. Pal. l. VII. 597:

. . . τόσον ἔσθενε νήματα Μοίρης.

Cf. etiam epigramma in Museo Rhenano novo (I. p. 167, n. 2, 6.): ἀλύτοις ὑπὸ νήμασι Μοιρῶν.

Græcum verbum νῆμα monstrat nobis viam Vergilii emendandi. Vergilius enim, ut erat novator verborum audacissimus, ad normam huius νῆμα facile potuit fingere

verbum *nemen*, derivatum a *neo*, quod *filum* sive *stamen* significaret. Versum igitur 47. ecl. IV. hunce in modum censeo esse scribendum:

> Concordes stabili fatorum *nemine* Parcæ

quod statim reddit huic loco poeticum colorem a nobis desideratum. Sententia enim erit talis: «Talia sæcla percurrite: dixerunt suis fusis. Parcæ, quæ *concordes nent stabile filum fatorum*».

Sed potestne *nemen* illud sive filum *stabile* appellari? Potest certe, nam *nemen stabile* idem significat, quod *immobile filum* apud Silium Italicum VII. vs. 479—430:

> At vos, o natæ, currit dum *immobile filum,*
> Hadriaci fugite infaustas Sasonis arenas

et *certum subtemen* apud Horatium, Epod. 13, 22:

> Unde tibi reditum *certo subtemine* Parcæ
> Rupere,

hoc est: *immutabile fatum.* Iam pro *nemine* parum intellecto a librariis scriptum esse *numine* non est, quod mireris.

Ceterum hoc *nemen* in lexicis nostris ut ἅπαξ λεγόμενον affertur ex inscriptionum sylloge Gruteriana (p. 690. num 5.). Sed operæ pretium est cognoscere ipsam inscriptionem, quæ nunc legitur in Tom. VI. Corporis Inscriptionum Latinarum Berolinensis num. 20674. et in tom. II. num. 436. Anthologiæ Latinæ,* ubi *Buecheler* edidit carmina in lapidibus servata. Romæ fuit in latere dextro urnæ marmoreæ duplicis permagnæ, cuius antica pars etiamnum

* *Anthologia Latina*, edd. Buecheler-Riese. Pars posterior. Carmina epigraphica, ed. Buecheler. Lipsiæ, 1895. Fasciculus I. p. 203—204.

exstat Parisiis, ut Buecheler ait, et habet sculpta Amoris et Tyches insignia, sub his scriptum:

D. M. Iuliæ Secundæ filiæ,
Corneliæ Tyches uxoris.

Sepulcrum Iulius Secundus erexit filiæ, Iuliæ Secundæ et uxori, Corneliæ, quæ una perierant naufragio circum oras Hispaniæ, et fecit in honorem earum carmen acrostichum, ubi primæ versuum litteræ nomen Iulii Secundi reddunt. En tibi poema integrum:

Iam datus est finis vitæ, iam paussa malorum
Vobis, quas habet hoc gnatam matremque sepulcrum,
Litore Phocaico pelagi vi exanimatas
Illic, unde Tagus et nobile flumen Hiberus
Vorsum ortus, vorsum occasus fluit alter et alter,
Stagna sub Oceani Tagus et Tyrrhenica Hiberus.
Sic etenim duxere olim primordia Parcæ
Et *nevere* super vobis *vitalia fila,*
Cum primum Lucina daret lucemque animamque,
Ut vitæ diversa dies foret unaque leti.
Nobis porro alia est trino de *nemine fati*
Dicta dies leti, quam propagare suopte
Visum *ollis* tacito arbitrio cum lege perenni,
Sisti quæ cunctos iubet ad vadimonia morti.

Huius igitur inscriptionis vs. 11. legitur illud *nemen* ablativo casu, quod sine causa voluit olim mutare Sabinus in *numine;* nam hoc *trinum nemen fati* (id est: tria fila Parcarum) confirmatur poetarum Græcorum testimoniis idemque significat, quod τριπλαὶ πῆναι apud Lycophr. vs. 145:

Μοῖραι τριπλαῖς πήναις κατεκλώσαντο

et τριέλικτον νῆμα in Anth. Pal. VII, 14, 5:

ὢ τριέλικτον
Μοῖραι δινεῦσαι νῆμα κατ' ἠλακάτας.

Nos vs. 47. ecl. IV. reposuimus *fatorum nemine,* in inscriptione autem invenimus *nemine fati.* Cum igitur certum sit, Iulium Secundum, elogii auctorem, in carmine suo satis eleganter scripto vestigia poetarum aureæ ætatis legisse imitarique Vergilium — nam vs. 13. obsoletam pronominis demonstrativi formam *ollis* procul dubio Vergilio debet, qui hoc archaismo aurea poeseos Romanæ ætate solus usus est Aen. l. VI. vs, 720:

> igneus est *ollis* vigor et cælestis origo
> seminibus —

nostra quidem sententia etiam insolitum verbum, *nemen,* a Vergilio sumpsisse putandus est. Quare nos hoc *nemen* iis adnumeramus verbis, quibus poeta Mantuanus, novator verborem felicissimus, linguam Latinam locupletavit.

II.

AD TIBULLI ELEGIAS.

1. L. I. 1, 29—30:

> Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
> Aut stimulo tardos *increpuisse* boves.

Hoc loco *increpuisse* non significat: boves stimulis fodiendo *hortari,* sed simpliciter: cædere stimulo. Nam *increpare* interdum idem significat, quod *pulsare,* i. e. pulsare ita, ut crepitus fiat. Cf. Ov. Am. III. 16, 17., ubi loquitur de se tragœdiam scripturo: «Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus», i. e. pulsavit me, nam Bacchus thyrso ferit eos, quibus furorem inicere vult, unde apud Lucret.

I. 922—923: «sed acri *Percussit* thyrso laudis spes magna meum cor»; Ov. Met. XIV. 820—821: «Impavidus conscendit equos Gradivus et ictu Verberis increpuit» et Trit. I. 4, 24. (de nave): «Increpuit quantis viribus unda latus»; Stat. Theb. III. 431: «Terga comamque deæ Scythica pater increpat hasta». Apud Horatium autem Carm. IV. 15, 1—2:

Phœbus volentem prœlia me loqui
Victas et urbes *increpuit lyra,*

interpretes non animadverterunt Horatium iocari. Imitatur enim Verg. Ecl. 6, 3—4: «Cum canerem reges et prœlia, Cynthius aurem Vellit et admonuit» verbaque eius ita sunt explicanda: «Phœbus me heroicum carmen scribere volentem *pulsavit* lyra sua».

2. L. I. 1, 43—44:

Parva seges satis est, *tuto* requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.

Hoc loco *tuto* restitui ex lectione florilegii Parisini: *uno*. Coniecturam meam confirmat epicedium Tibulli Ovidianum (Am. III. 9.), quod magna ex parte ex allusionibus Tibullianis contextum est, vs. 67:

«Ossa quieta, precor, *tuta requiescite* in urna.» Vult enim Ovidius dicere: Tibullus, dum viveret, in tuto lecto requiescere voluit; nunc saltem mortuus in tuta urna requiescat.

3. L. I. 1, 45—48:

Quam *iuvat* immites ventos audire cubantem
Et dominam tenero continuisse sinu,
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
Securum somnos imbre *iuvante* sequi!

Minus apte positum videtur *iuvante* propter præcedens *iuvat.* Scribendum fortasse: *sonante,* nam æqualis sonus aquæ cadentis facile et iucunde homines sopit. Cf. Tib. I. 2, 77—78: «soporem Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ»; Hor. Epod. 2, 27—28: «Fontes lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves».

4. L. I. 9, 35--36. nunc ita scribo:

Illis eriperes verbis mihi sidera cæli
  Lucere et *pronas fluminis* esse vias,

ubi *pronas* est coniectura Heynii, *fluminis* autem lectio codicis Ambrosiani. Nam eadem fere ἀδύνατα commemorantur ab ipso Tibullo I. 2, 43—44. (de saga): «Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi, *Fluminis* hæc rapidi carmine vertit *iter*»; cf. etiam Verg. Ge. I. 203: «Atque illum præceps *prono* vehit alveus *amni*» et Val. Flacc. Argon. VI. 443. (de Medea): «Mutat agros *fluviumque vias*».

5. L. II. 1, 51—54:

Agricola adsiduo primum satiatus aratro
  Cantavit certo rustica verba pede
Et *satur* arenti primum est modulatus avena
  Carmen, ut ornatos diceret ante deos.

Poeta ante oculos habuit Lucret. V. 1384. sqq., ubi agitur de inventione artium apud homines antiquissimos:

Inde minutatim dulces didicere querellas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Avia per nemora ac silvas saltusque repertas,
Per loca pastorum deserta atque otia dia.
Hæc animos illis mulcebant atque iuvabant
Cum satiate cibi: nam tum sunt carmina cordi.

6. L. II. 3, 3—4:

Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.

Hoc loco *verba aratoris* sunt verba illa, quibus aratores boves suos hortari solent. Cf. Ov. Pont. I. 8, 53—56:

Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub iuga curva boves,
Et discam, Getici quæ norunt verba iuvenci,
Adsuetas illis adiciamque minas.

7. L. II. 3, 5—7:

O ego, cum aspicerem domínam, quam fortiter illic
Versarem *valido* pingue *bidente* solum
Agricolæque modo curvum sectarer aratrum.

Poeta ante oculos habuit Lucret. V. 207—209: «ni vis humana resistat Vitai causa *valido* consueta bidenti Ingemere et terram pressis proscindere aratris».

III.

AD LYGDAMI ELEGIAS.

1. El. I. 8:

Gaudeat, ut digna est, versibus illa *meis*.

Postgate pro *meis* codicibus tradito scribendum censet *novis*. Coniecturam eius confirmare videtur Ov. Am. I. 8, 57—58: «Ecce quid iste tuus præter *nova* carmina vates Donat?»

2. El. II. 11—12:

Ante meum veniat longos incompta capillos
Et fleat ante meum mæsta Neæra *rogum*.

Ante pro *ad,* ut hoc loco, occurrit apud Ov. Am. I. 13, 9: «Atque eadem sponsum multos ante atria mittis» et ibid. II. 13, **24**: «Ipse feram ante tuos munera vota pedes».

3. El. V. 15:

Et nondum cani nigros *læsere* capillos.

Cf. Ov. Am. I. 10, 14: «Nunc mentis vitio læsa figura tua est» et A. A. III. 207: «Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ».

4. El. V. 33—34:

Interea nigras pecudes promittite Diti
Et nivei lactis pocula mixta mero.

Cf. Lucret. III. 52—53. (de hominibus mortem timentibus): «Et nigras mactant pecudes et Manibus divis Inferias mittunt».

5. El. VI. 24:

Cadmeæ matris præda cruenta docet.

Cf. Ov. Fast. III. 721: «Tu quoque Thebanæ mala præda tacebere matris».

6. El. VI. 39—40:

Gnosia, Theseæ quondam periuria linguæ
Flevisti, ignoto sola relicta mari.

Cf. Ov. Am. I. 7, 15—16: «Talis periuri promissaque velaque Thesei Flevit præcipites Cressa tulisse notos».

IV.

AD PANEGYRICUM.

1. Paneg. 204:

Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa.

Cf. Prop. I. 22, 8: «Tu nullo miseri contegis ossa solo».

2. Paneg. 205:

Seu matura dies *celerem* properat mihi mortem.

In Ambrosiano legitur *fato* pro *celerem*. Scribendum fortasse: «matura dies *fati*»; nam *celerem* potuit oriri ex *celerat*, i. e. ex glossemate ad *properat* pertinente. Cf. Prop. II. 28, 25: «Quod si forte tibi properarent fata quietem». Ad *dies fati* cf. Prop. II. 28, 39: «ratis fati» (i. e. navis Charontis) et I. 19, 12: «fati litora» i. e. ripa Acherontis.

3. Paneg. 112:

Terna minus *Pyliæ* miretur sæcula *famæ*.

Hoc loco *Pylia fama* est gloria Pyli, i. e. Nestor. Cf. Prop. I. 15, 21—22: «Coniugis Euadne miseros elata per ignes Occidit, Argivæ fama pudicitiæ».

CORRIGENDA.

I. Ad editionem Tibulli.

P. 30.	vs. 49.	*pro*	deducit	*legendum*	depellit.
P. 111.	vs. 9.	«	Hostia	«	Plania.

II. Ad editionem Lygdami.

P. 41.	vs. 12.	*pro*	æquam	*legendum*	aquam.
P. 58.	vs. 32.	«	em autprobatio	«	autem probatio.
P. 72.	vs. 1.	«	τὐ	«	τὸ.
P. 92.	vs. 29.	«	Homernm	«	Homerum.
P. 113.	vs. 29.	«	eorem	«	eorum.